Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-146554043-10/fragment/page=2

Opuscula

exegetica, critica, dogmatica

ſcripſit,

recognouit, variisque additamentis

locupletauit

Henricus Auguſtus Schott,

Theologiae Doctor et Profeſſor Ordinarius Academiae Ienenſis.

Tomus ſecundus.

Ienae,

ſumtibus Croekerianis.

MDCCCXVIII.

Opuscula

exegetica, critica, dogmatica

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-146554043-10/fragment/page=4

Tabula

commentationum, quae Tomo secundo continentur.

VI. Examinantur diuersissima interpretum iudicia de sensu effati Iesu Christi, quod in ev. Marci c. 9. v. 49. legitur, apte constituendo. p. 3 — p. 48.

VII. Disseritur de locis Geneseos, quae Dei imaginem hominibus concessam praedicant. p. 51 — p. 98.

VIII. Disseritur de effatis Geneseos, quae Spiritum diuinum in hominibus versantem commemorant. p. 101 — p. 128.

IX. Vindicatur authentia sectionis postremae euangelii Marci c. 16. v. 9 — 20. p. 131 — p. 170.

X. In locum euangelii Matthaei c. 3. v. 7 — 12. inquiritur. p. 173 — p. 202.

XI. Quo sensu Iesus apud Matthaeum (c. 24.) Marcum (c. 13.) Lucam (c. 21.) aduentum suum in nubibus

coeli futurum nuntiauerit, inquiritur. p. 205 — p. 262.

XII. De Ioanne Apoſtolo doctrinae ſuae nouitatem pariter ac vetuſtatem vindicante epiſt. I. c. 2. v. 7 — 15. p. 265 — p. 291.

Ex his commentationibus ſexta potiſſimum et ſeptima additamentis maioribus auctae ſunt. Ceteras obſeruatis locupletaui breuioribus, variis inſuper immutatis.

Commentatio Sexta *).

Examinantur diuersissima interpretum iudicia de sensu effati Iesu Christi, quod in ev. Marci c. 9. v. 49. legitur, apte constituendo.

*) Edidi hanc commentationem Vitebergae anno MDCCCXII. ad memoriam resurrectionis Iesu Christi celebrandam inuitaturus.

Quanquam de pluribus librorum N. F. effatis, quae vel obscuritati vel ambiguitati cuidam sunt obnoxia, noua luce illustrandis eorumque sententia certius constituenda haud pauci interpretes, et antiquiores, et recentiores, egregie sunt meriti, nouos quippe tramites ingressi, neque in iis, quae hucusque tentata ac disputata fuerant, acquiescentes; haud raro tamen fieri videmus, vt ipsa sententiarum, quas loci vexati interpretatio sensim sensimque peperit, copia magna atque diuersitas ipsius interpretem nouis impediat difficultatibus. Solet enim, quo saepius effatum tentamina interpretum subiit diuersissima, eo molestior esse cura interpretis, aliorum scriptorum (praestantiorum certe) sententias comparaturi atque examinaturi. Nihil vero est, quod explicationem et tractationem talium locorum magis adiuuet, quam eiusmodi enarratio diuersitatis sententiarum, quae illas ad genera

quaedam certa reuocatas lectoribus ita exhibet, eosque ad principia diuersa, quae interpretes idem effatum varie tractantes sequuti fuerint, animum iubet attendere, vt facile et discrimen eluceſcat, quo diuersa illa virorum doctorum iudicia inter se differant, et via pateat, qua ad persuasionem certam de vera effati sententia recte stabiliendam peruenire liceat, tutissima.

Quo quidem studio iampridem mihi indigere visum est effatum Christi, quod Marci euang. c. 9. v. 49. legitur: Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. Constat enim, interpretes huius l. partim de quaestione: num hoc effatum omnino antecedentibus cohaereat, et (si hoc conceſſum fuerit) quanam cogitationum serie Iesus ad hanc sententiam deuenerit? partim de eo hominum genere, ad quod effatum Christi v. 49. propositum praecipue spectauerit, apte definiendo, partim de notionibus vniuersis, quas Iesus *igne* et *sale* huiusque *vsu* commemorando depingere voluerit, recte eruendis, ita in partes discedere varias, vt inde explicandi rationes prodire soleant diuersissimae.

Quo accuratius vero loci laudati indolem atque naturam indagaui (quam gnomicam esse sequentia potissimum demonstrant), eo certius intellexi, rationem huius interpretum dissensus haud exigui praecipuam ac principem in eo deprehendi, quod alii adfirment, alii negent, versum 49. iis, quae Iesus sermone gno-

mico v. 43—48. de officio monuerit hominis vere Christiani, manum pedemue abscindendi, et oculum euellendi (i. e. carissimis vitae bonis sponte renunciandi), si forte vsus harum rerum ad peccandum ipsum sollicitauerit (argumento huius cohortationis grauissimo a felicitate proborum verissima, miseria summa improborum olim futura depromto), nexu cohaerere intimo. Quae cum ita sint, totam sententiarum, quae interpretibus loci nostri vexati probatissimis arriserunt, diuersitatem facillime ita enarraturus mihi videor, eiusque recte diiudicandae tramitem verum monstraturus, vt de illo *duplici* interpretum genere separatim disseram.

I.

De iis, qui versum 49. commatibus antecedentibus v. 43—48. propius iungendum existimant.

Quicunque hoc priori interpretum genere comprehenduntur, haud parum inter se dissentiunt, quum voculam πᾶς (v. 49. in.) *vel* ad *homines* referant, *qui, quum perperam cedere et obsequi iis maluerint, quibus ad peccata committenda sollicitati fuissent, quam fortiter resistere, poenis post mortem futuris* (igne Gehennae v. 47. 48.) *dignos se reddiderint*, vel ad *eos, qui poenam futuram euitare voluerint*, vel ad *disci-*

pulos Ieſu Chriſti. Praecipuus vero exſtitit eorum diſſenſus, qui Ieſum v. 49. de *hominibus poena vitae futurae dignis aut damnatis* aliquid enuntiasse iudicant. Quanquam enim hi omnes concedunt, Ieſum, quum mentionem *ignis* faceret, vel de igne inferno, vel omnino de notione poenarum vitae futurae ſermone tropico enuntiata cogitaſſe (quam quidem discrepantiam, ſi rem primariam ſpectaueris, fere nullam eſſe facile eluceſcit); minime tamen vel de ipſius *Datiui* πυρι ſignificatione h. l. apte conſtituenda, vel de notione, quam Ieſus τω αλιζειν exprimere voluerit, conſentiunt, ſoletque, prouti varia eſt membri prioris interpretatio, ita, quae membro poſteriore exprimitur, ſententia illi diuerſimode accommodari. Senſu plane proprio et ignis et ſalis mentionem fieri exiſtimant, qui Ieſum v. 49. *aeternitatem poenae in vita altera futurae* adfirmare et cauſam proferre coniiciunt, *quare corpora hominum damnatorum igni aeterno tradita conſumi nequeant*, ita vt recte adfirmare liceat, quod v. 44. 46. 48. legimus: ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾶ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται [1]). Neque omnino

---

1) Praecipua ſubtilitate ac multo eruditionis apparatu hanc rationem commendauit Paulus Ern. *Iablonsky* in exercitatione de ſalſura ignis aeterni, quae in Iablonskii opuſculis T. II. ed. Te Water, Lugduni Batavv. 1806. leg. p. 458—485. Cfr. inſuper *Lightfooti* horae hebraicae et talmudicae (Lipſ. 1675.) p. 626 ſqq. et *Michaelis: Anmerkungen für Ungelehrte zu ſeiner Ueberſetzung des N. T., erſter Theil,* (*Göttingen* 1790) S. 333 ſq.

his interpretibus ratio deeſt nexus declarandi ſatis commoda, verbis quippe v. 48.: *vbi* (in qua Gehenna, ſede damnatorum) *ignis, qui damnatos cruciabit, nunquam extinguetur* ea, quae ſequuntur v. 49. ita iungentibus: *profecto enim quiuis* (illorum damnatorum in Gehenna verſantium) *igni aeterno ſalietur* ſ. *totus igne ſalietur* (eiusmodi igne tangetur, quo minime conſumatur, ſed, tanquam ſi flamma illa vim ſalis cibos a putredine defendentis habeat, incorruptus conſeruetur). Vſum loquendi graecum omnino permittere, vt πᾶς vertatur: *totus ac integer* (niſi cum plerisque vertere malueris: quiuis illorum) exemplis Herodoti l. 11. c. 76. Aeliani varr. hiſtorr. l. 7. c. 6 aliisque pluribus commemorandis egregie docuit Iablonsky in comment. nota 1. laudata p. 469. ſq. (Liceat tamen ingenue profiteri, cauſam nullam apparere idoneam, quare haec ratio voculae πας interpretandae illi, quae plerisque probata eſt, verſioni faciliori atque ſimpliciori praeferatur, etſi quis in ceteris ad partes Iablonskii accedere voluerit; quum, ſi πας vertatur: totus, quantus, non poſſint non verba: τοιοῦτος ἄνθρωπος tacite ſubintelligi, ſin cum plerisque reddiderimus: *quisque illorum*, nihil niſi pronomen ἀυτῶν e vſ. 48. absque vlla duritie repetendum ſit.) Ceterum cauſam primariam, quare Chriſtus igni infernali vim ſaliendi tribuerit, Iablonsky inde repetit, quod ignem illum commatibus antecedentibus ſaepius οὐ σβεννύμενον, inextinctum, appellaſſet, cui formulae veluti commentarii loco hoc effatum v. 49. addiderit, quo doceret, ignem inferna-

lem, inprobis vita defunctis perpetuo cruciandis, neque vero consumendis, idem praestiturum esse in animis mortuorum, quod sal in corporibus efficere soleat. Existimat insuper, Iesum, de sale Asphaltitico s. Sodomitico cogitantem (cuius vsum frequentem inter Iudaeos fuisse Schoettgenius docuit in horis hebraicis ad Matth. p. 18. sqq.) ad supplicium Sodomiticum digitum intendisse; siquidem partim scriptura sacra, vbi de poenis damnatorum olim futuris loquatur, interdum ad infortunium alludat, quod Sodomitae experti fuerint (Apocal. 20, 10. Luc. 17, 28. sqq.), partim ignis ille, quo Deus in Sodomitas animaduerteret, fuerit coelestis, fulmineus, sulphureus (quo veteres teste Plutarcho Sympos. l. 4. c. 11. l. 5. c. 10. corpora existimarent a putredine defendi,) partim constet, effectum ignis Sodomitici coelestis fuisse asphaltum, s. salem Sodomiticum, partim facile cuiuis fatum vxoris Lothi tristissimum in mentem veniat, quae (Genes. 19, 26.) re ipsa igne Sodomitico tota obducta et salita fuerit. Quanquam haec omnia ingeniosissime disputata video, totius tamen effati interpretatio inde euadit iusto artificiosior, neque video, quomodo Iesus consilium, quod verbis ipsius Iablonsky vindicauit, poenam vitae futurae infortunio Sodomitico comparandi, *his paucis* πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται ita eloqui potuerit, vt audientes probe intelligerent. Accedit, quod alia loca desideramus, quae demonstrare valeant, vel Iesum vel Apostolorum quendam de natura atque indole ignis infernalis futura vnquam talia do-

cuisse, neque omnino, quae Iesus interdum de igne infernali enuntiauit, recte possunt sensu proprio intelligi, quem illa interpretandi ratio ponit et efflagitat. (Quis enim est, vt in hoc vno acquiescam argumento, qui verba illis πῦρ ἄσβεστον coniunctissima: οὐ ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ sensu litterali interpretanda existimet?) Facilius oratio vtriusque membri procedere videtur, salua sententiarum v. 48. et 49. serie, si quis ad partes eorum transire maluerit, qui imaginem salis in verbis quidem prioribus vrgeri omnino nolunt, phrasin πυρὶ ἁλίζεσθαι vertentes: igne tanquam sale conspergi, vri, cruciari; in iis vero, quae adduntur: πᾶσα θυσία etc. notioni vel cuiusuis *verae sapientiae* vel *doctrinae Christi* describendae inseruire existimant (vocem θυσία de homine Deo consecrato interpretati)[2]): *quiuis enim* (illorum hominum

---

2) Cfr. B. *Rosenmüllerus* in scholiis ad h. l. B. *Storrius* in interpret. partis alterius epistolae ad Colossenses in eiusd. opusculis academicis ad interpretationem librorum sacrorum pertinentibus Vol. II. p. 210. ff. nota 77. in eo tantum a *Rosenmüllero* discedens, quod hic quidem vocabulo ἁλίζεσθαι in membro posteriore obuio hominem, qui felicitate aeterna sese dignum reddat, *Storrius* vero eum, qui omnino, doctrina Christiana imbutus, a vitio et corruptione integer maneat, aliorumque integritati seruandae probe consulat, depingi existimat. (Vtrumque vero alteri coniunctissimum.) In easdem fere partes abeuntem video Censorem Doctissimum commentationis meae vernacule de hoc loco scriptae (atque diario: Zeitschrift für Prediger, her-

damnatorum) *igni aeterno, ceu ſale, conſpergetur* (cruciabitur); *ſed quaeuis victima ſale condietur* (quiuis homo Deo conſecratus ſale verae ſapientiae felicitati aeternae praeparari ſ. conſecrari debet). Licet omnino huic tropicae ſignificationi vocabuli ἁλας conferendis effatis Matth. c. 5. v. 13. et epiſt. ad Coloſſ. c. 4. v. 6. lucem adfundere idoneam. Audimus quippe (loco Matth.) ipſum Seruatorem diſcipulos ſuos ipſi prae ceteris familiares, futuros religionis diuinae doctores, ſali terrae (generis humani) comparantem, ſiquidem inter homines prodituri erant auctores ſapientiae verae (doctores religionis diuinae), qua, ceu ſale, animos inbuerent humanos, eosque a putredine morali (erroribus ac vitiis peſſimis) de-

---

ausgeg. von Schott und Rehkopf, dritter Bd. erſtes Heft, Leipzig, 1812. inſertae). Cfrr. Obſeruata huius Cenſoris in diario: *Ammons* kritiſches Journal der neueſten theolog. Litteratur, erſten Bds. zweytes St. Nürnberg 1813. vbi locus noſter ita vertitur: Geennae damnatus enim flammulis igneis, ceu ſale conſpergetur, quemadmodum victima quaenis ſale conſpergitur. Neque negauerim, *poſſe* και pro καθως accipi, vt 1 Corr. 6, 13. aliisque locis a Storrio et Kuinoelio laudatis. Quanquam vero haec interpretatio nihil contorti et artificioſi habere videtur, in eo tamen offendimus, quod neque cauſam ſufficientem exhibet, quare Ieſus de ſtatu hominum damnatorum in Geenna verſantium hac potiſſimum formula plane inſolita vſus fuerit: flammulis igneis, ceu ſale, conſpergetur? neque nexum recte explicat, quo verbis: πας γαρ πυρι αλισθησεται verba ſequentia cohaereant: και πασα θυσια etc. quippe quae, hac ratione admiſſa, fere otioſa apparent et ſuperuacanea.

fenderent. Pariter Paulus (ad Coloſſ.) Chriſtianis ſuis ſermones commendat ſale conditos, i. e. eiusmodi ſermones, qui, cum ſapientes ſint, indole et ingenio doctrinae Chriſtianae accommodatiſſimi, aliis euadant vtiles, et vim habeant ſaluberrimam ad animos edocendos atque emendandos. [3]) Neque obſcura eſt atque recondita ſimilitudo ſapientiae et ſalis. Quemadmodum ſal efficit, vt cibi ſale reſperſi ad comedendum reddantur aptiores, ſuauiores, firmiores; ita ſapientiae verae ea eſt vis et efficacia, vt dictis et factis omnibus eam conciliet indolem, qua aptiora euadant conſilio propoſito, praeſtantiora, aliisque hominibus vtiliora atque gratiora. Quem dicendi vſum profanos Graeciae et Latii auctores haud ignoraſſe (inprimis, vbi de ſapienter dictis loquerentur et facetiis, orationem veluti condientibus) exempla docent Plutarchi Sympoſ. V. 10. Terentii Eunuch. A. 3. ſc. 1. v. 10. Catulli 86, 4. Ciceronis de orat. 2, 54. orat. c. 26. Quinctil. inſtitutt. oratt. 6, 3, 18. Ne-

3) Confirmatur haec interpretatio loco parallelo epiſtolae ad Epheſſ. 4, 29. Nequeo B. *Storrio* adſentiri in comment. ſupra nota 2. laudata omnino neganti, in explicanda hac Pauli formula λόγος ἅλατι ἠρτυμένος notionem ſapientiae eſſe ſpectandam. Quemadmodum enim vſus loquendi (vt ſupra vidimus) docet, ſapientiam apud vett. ſali comparari, ita profecto notio doctrinae Chriſtianae, eiusque indolis praeſtantiſſimae, (de qua Paulum l. l. cogitaſſe, quum ſermones commendaret ſale conditos, *Storrio* lubentiſſime concedo) vniuerſae notioni ſapientiae verae eſt coniunctiſſima.

que indoles illius imaginis, quae a ſacrificio ſ. victima depromta eſt. ad homines translatae Deum pie colentes, Chriſtianos veros, vel ab ipſa rei natura vel a ſermone Chriſti et Apoſtolorum aliena poteſt videri (cfr. ep. ad Romanos 12, 1. et B. Koppe ad h. l. coll. 15, 16.). Conſtat inſuper, et Graecis atque Romanis (Homeri Il. a. v. 449. Euſtathius ad h. l. Dionyſ. Halicarn. archaeol. Rom. l. 7. p. 1495. ed. Reisk. Vol. III. Plinii hiſt. natur. l. 31. c. 7.) et Hebraeis (Levit. 2, 13. Ezech. 43, 24.) vſum ſalis in ſacrificiis fuiſſe ſolennem, ſiue efficere voluerint, vt carnes victimae, ſale reſperſae, citius concremarentur, ſiue, quae Diis oblata fuiſſent, eadem ratione, qua cibi humani adornari ſoleant, inſtruenda et ſale condienda putauerint, quo gratiora Diis redderentur. Quae quum ita ſint, neminem facile negaturum exiſtimo, hominem, qui Deo per doctrinam Chriſti ita conſecratus ac deuotus ſit, vt ſecundum normam doctrinae diuinae vitam totam componere ſtudeat, atque dignus euadat ſorte beata poſt mortem exſpectanda, ſatis apte victimae Deo oblatae comparari potuiſſe, quae ſalis ope Deo conſecretur. Ceterum voculam καὶ interdum (more hebraici ו) *aduerſatiuam* eſſe docuit Storrius in comment. exeget. in epiſtolam Iacobi in opuſculis academm. Volum. II. p. 27. nota 69. Quo minus vero horum interpretum doctiſſimorum ſententiae meum addam calculum (etſi largior, ea probanda neque nexum interrumpi v. 48 et 49. neque vſum loquendi negligi), his duobus argumentis impedior: 1) cauſam deſidero ido-

neam, quare Ieſus notionem hominis igni aeterno cruciandi (i. e. poenam aeternam poſt mortem ſubituri) formula tropica, eademque obſcura vſus: πυρι αλισθησεται, neque verbis propriis atque perſpicuis enuntiauerit? 2) in ipſa oppoſitione, quam interpretes laudati duobus illis v. 49. membris ineſſe volunt, haereo. Poenis quippe olim futuris non tam *ſtudium* hominis Deo conſecrati, ope doctrinae diuinae ſe immunem ſeruandi a peccatis, atque ſalute futura dignum reddendi, quam *felicitatem ipſam* Chriſtianis veris olim exſpectandam opponi oportuit. Eandem fere viam *Grotius* 4)

---

4) cfr. *Grotii* nota in Tomo VI. Criticorum ſacrorum (Amſtelod. 1698.) in notatis ad Marcum p. 110 ſq. Eadem ratio Hammondo, Clerico, aliisque interpretibus prae ceteris placuit. Similis eſt, quanquam interpretationi Grotianae facilitate multum praeſtat, ea huius loci expediendi ratio, quae legitur in ſpecimine hermeneutico de iis, quae ab vno Marco ſunt narrata, aut copioſius et explicatius expoſita, quod praeſide Iod. *Heringa* publico examini ſubmiſit auctor *van Willes*, Traiecti ad Rhenum, 1811. 8. p. 116 ſq. qui ſenſum ita conſtituit: quiuis enim illorum (in Geenna verſantium, quorum nec vermis moritur, nec exſtinguitur ignis v. 48.) *igne* ſalietur, i. e. *eiusmodi re, quae ſalis proprie ſic dicti vim et efficaciam longe ſuperat*, Matth. 3, 11. Luc. 3, 16. quanquam quodvis ſacrificium ſale (tantum, proprie ſic dicto) ſaliri ſolet. Reſpicere Ieſum exiſtimat ad conſuetudinem, ſacrificium propterea ſale conſpergendi, vt ignis facilius conciperetur, et penetrantius perureret. Patet omnino, ſi haec ratio probata fuerit, vocabulum πυρ v. 49. non tam de poena ipſa intrepretandum eſſe, quam de eiusmodi re, quae homines damnatos veluti praeparet poenae grauius ſentiendae. Iam vero verſus prae-

ingressus est, qui, voculam πᾶς de hominibus, qui adfectibus prauis indulgent, θυσία de iis, qui animum mentemque vere Deo consecrant, formulamque ἁλὶ ἁλίζεσθαι de cura diligentissima, qua, quicquid mali est in homine, sensim sensimque remouetur, interpretatus, in eo praecipue ab aliis interpretibus discedit, quod verbo ἁλίζειν in priori commatis membro notionem *consumendi* tribuit, sententiam totius effati hac ratione declarans: *quiuis illorum hominum, qui prauis adfectibus indulgent, holocaustorum instar* (i. e. eiusmodi oblationum sacrarum, quae totae, quantae fuerunt, igne absumebantur), *igne totus consumetur*, i. e. *poenam diuinam experietur grauissimam* (quo sensu apud Hebraeos homines impii, poenis diuinis destinati, subinde victimis comparantur, Ies. 34, 6. Ierem. 12, 3. 46, 10. Ezech. 21, 9. 10. 39, 17. Dan. 7, 11.); *quiuis autem pius* (*quicunque de eo cogitat, vt animum suum, ceu sacrificium spirituale, Deo offerat*) *studio diligentissimo, quicquid est in ipsius animo malorum adfectuum, sensim sensimque remouebit* (*carni similis numini diuino oblatae, quae sale conspergitur putredinem exedente*) ita vt, consumtis prauis adfectibus, homo totus ad vitam aeternam eamque beatam conseruetur. Verum, vt alia argumenta taceam, illum verbi ἁλίζειν vsum, quo notionem *consumendi* exprimere

---

cedentes luculentissime declarant, Seruatorem profecto poenas ipsas post mortem futuras intellexisse, quum de πυρὶ ἀσβέστῳ loqueretur.

dicitur, rationibus, quae sufficiant, philologicis omnino destitutum video. Neque enim vel profani Graeciae scriptores vel auctores versionis Alexandrinae atque librorum N. F. ita loquuti sunt, neque effata Iesaiae 51, 6. et Ierem. 38, 11. 12. demonstrant, quod Grotius his laudandis probari voluit, *eidem* verbo hebraico מָלַח, cui graecum ἁλίζειν respondeat, illam potestatem competere, cui ipse veluti fundamento sententiam suam recte superstrui putauerit. Illa quippe forma Niphal נִמְלַחוּ quae Ies. 51, 6. deprehenditur (*coeli fumi instar euanescent*) pariter atque vox מְלֻחִים, quae Ierem. 38, 11. 12. de fragmentis vestium *tritis* atque *scissis* dicitur, ad alias omnino stirpes arabicas referenda est, ab ea diuersas, cui nostrum מָלַח: sale adsperſit, suam debet originem [5]). Neque in auxilium vocandum putauerim locum Esrae 4, 14. quum plures interpretes recte, opinor, viderint, voci chaldaicae מְלַח l. l. notionem *salem comedendi* potius quam aliquid *diruendi* s. *consumendi* esse vindicandam, ita vt *salem palatii comedere* significet: *ministris principis adscriptum esse, qui eius beneficio alantur.* Maluerunt alii, qui interpretibus hucusque laudatis in explicanda vocula πας consentiunt, Datiuum πυρι pro Datiuo commodi accipere, verbo αλιζειν in vtroque membro vnam eandemque tribuere significationem tropicam aliquem *poenae futurae condemnandi* ac veluti

5) cfr. *Gesenius hebräisch-deutsches Handwörterbuch, Leipzig* 1810. 1811. (opus praestantissimum) p. 598. 99.

praeparandi, atque sub θυσια homines intelligere condemnandos, salem vero ad doctrinam referre diuinam: *vnusquisque* (eorum, quorum vermis non moritur v. 48.) *ad ignem salietur* (in iudicio irae diuinae) *et omnis victima* (ad Geennam damnata) *sale salietur* i. e. doctrina diuina, ab improbis olim spreta, die iudicii eos damnandos declarabit [6]). Quanquam omnino haec interpretatio Grotiana apparet facilior, duplici tamen premitur incommodo. Neque enim placet, quod, his probatis, θυσια ad homines refertur condemnandos (quum alia N. T. loca, vt supra docuimus, contrarium suadeant, atque omnino imago victimae, quae sale oblationi sacrae praeparatur, facilius hominis se totum Deo consecrantis, quam hominis poenae futurae destinati cogitationem excitet [7])); neque formula: salire aliquem, ad doctrinam diuinam translata, satis apte potest, nisi paulo artificiosius interpretari volueris,

---

6) *Grünenbergii* dissert. de salitura ad ignem aeternum, Rostoch. 1702.

7) Eadem de causa non possum iis adsentiri, quae Censor eruditus commentarii in euangelia Marci et Lucae a V. Kuinoelio editi in ephemeridibus litterariis Halensibus N. 174. a. 1812. p. 541 sq. monuit, qui sensum membri prioris ita constituit: „quiuis Geennae condemnatus igne Geennae, ceu sale conseruatur“ atque vocabulum θυσια in membro posteriori omnium tropice hominem, qui poena adficiatur, innuere existimat: so ja auch jedes Geopferte (jeder für die Sünde gestrafte) gesalzen seyn muss, gleichsam um länger erhalten zu werden.

vim condemnandi, quam haec doctrina habeat, exprimere (patet quippe ex iis, quae de vſu vocabuli ἁλας tropico, locis ipſius N. T. praeeuntibus, ſupra disputata ſunt, eiusmodi phraſin multo aptiorem eſſe praedicandae religionis Chriſtianae efficaciae, qua mentes humanae ſapientia vera inbuantur atque emendentur, ſaluberrimae). Vtrique difficultati minime quidem obnoxia eſt ea ſententiae verae huius effati indagandae ratio ingenioſa, qua Ill. *Paulus* vſus eſt (*philologiſch-kritiſcher und hiſtoriſcher Commentar über das neue Teſtament, Zweyter Theil, Lübeck*, 1805. p. 727 ſq.): *et, quicunque ſe vitiorum illecebris ita abripi patitur, vt corpore ſuo mala patret, ipſe corpus ſuum igni aeterno futuro veluti ſaliendo praeparat* (cfr. quae ſupra de vſu ſalis in ſacrificiis ſollenni disputauimus) i. e. *poenam futuram ſibi ipſe contrahit; et, quicunque ſtrenuo pietatis ſtudio Deo ſe conſecrat, ceu victimam Deo probatam, (alio quidem ſenſu) ſale ſaliatur neceſſe eſt* i. e. *certamine duro ac moleſto, quo illis vitiorum illecebris fortiter reſiſtat, homo euadat Deo probatus.* Verum enimuero, quum verba v. 48. conditionem eorum depingant, qui *iam traditi fuerint* ſupplicio futuro, atque verba v. 49. πας γαρ πυρι αλισθησεται (ſi modo conceſſum fuerit, de nexu vtriusque commatis cogitandum eſſe) haud dubie praecedentibus ita ſint iungenda, vt ad voculam πᾶς e v. 48. ſubintelligatur ἀυτιῶν; praeſtat, opinor, quae v. 49. legimus, pariter ad illam *futuram* referre hominum ſupplicio traditorum conditionem, quam de iis interpretari, quae in hac vita ter-

reſtri faciant. Deſideramus item loca, quae vim probandi habeant, ſalis imaginem ſatis perſpicue et apte ad moleſtias transferri potuiſſe, quas pietatis verae ſtudium homini pareret, vitiorum illecebris fortiter repugnanti.

Diſcedunt ab iis, quorum ſententias hucusque exhibuimus, qui, quanquam verſum 49. pariter ac illi verbis praecedentibus propius iungendum exiſtimant, vocula tamen πας Ieſum Chriſtum eos potius innuiſſe iudicant, qui *poenam futuram euitare voluerint, atque Deo grati euadere et accepti.* Neque vero in vocibus ſingulis interpretandis inter ſe conſentiunt (niſi, quod omnes, quos contuli, verba membri poſterioris καὶ πᾶσα θυσία etc. *ſenſu proprio* de illo, quem ſupra tetigimus, more veterum intelligunt, victimis Deo offerendis ſalem adſpergendi). Commemorando enim igne (πυρι) vel notionem *adflictionum malorumque huius vitae*, quae animum hominis a ſecuritate morali et vitioſitate purum ſeruent atque immunem [8]), vel *efficaciam ſpiritus diuini*

8) cfr. *Glaſſius* in philologia ſacra l. 5. tract. 1. cap. 10. p. 1220. (edit. quae Francofurti et Lipſiae a. 1661. prodiit) qui ſententiam effati his fere verbis declarat: quicunque offendicula et ignem infernalem euitare voluerit, igne quodam ſalutari ſalietur (crucis et adflictionum), ſ. igne tangetur ipſi ſalis inſtar futuro, quo conditus a ſecuritatis et peccatorum putredine conſeruetur; ſicut omnis victima (ſecundum praecepta legis Moſaicae) ſale ſaliri conſuetuit. Vſum loquendi hebraico-graecum permittere, vt voculae καὶ vim comparandi tribuamus (ſicuti, quemadmodum), docuit idem

ſaluberrimam 9), vel *moleſtias*, quas homini ſenſuum et cupiditatum vim et grauitatem ſentienti *ſtudium praeceptis religionis Chriſtianae obſequendi haud raro adferre ſoleat* 10), vel *doctrinam euangelicam ipſam* 11), vel *alia praeſidia* 12) depingi volunt, quibus Deus vtatur ad animum humanum corrigendum atque in pietate confirmandum. Verum, quod ſupra paucis monui (quum eam huius effati interpre-

---

Glaſſius l. 4. tract. 1. p. 877. (edit. laudatae). In easdem partes nuper abiit *Kiſtemaker* in libro: Weiſſagung Jeſu vom Gericht über Judaea und die Welt nebſt Erklärung der Rede Marci 9, 42—49. Münſter, 1816. 8. p. 125 ſeqq. qui vocab. πυρ et de vexationibus et de offenſionibus atque illecebris peccatorum interpretatus eſt.

9) cfr. nota *Iac. Cappelli* in Criticorum ſacrorum T. VI. (edit. ſupra nota 4. laud.) in adnotatis ad Marcum p. 196. vbi ſententiam ita conſtituit, vt quiuis πιστευων (Deo et Chriſto addictus) dicatur igne ſaliendus, quatenus vi et efficacia Spiritus S. a corruptione huius mundi defendatur, et vita incorrupta atque ſancta veluti cibus reddatur Deo ſuauis et acceptus. *Zegerus* vero in Criticis ſacris l. l. p. 102. *ſale* doctrinae euangelicae acrimoniam deſcribi exiſtimat, emordentem et conſumentem, quicquid in animo humano fuerit corruptioni obnoxium, *igne* vero ardorem ſpiritus diuini, animum illuminantem et vera pietate inbuentem.

10) cfr. *Kürsneri* comment. de ſalitura ignis, Rinthel. 1699.

11) cfr. nota 9.

12) Recenſuit plura, quae ab interpretibus huius generis indicata ſunt, *Wernsdorfius* in diſſert. de ſalſura ſpirituali. cfr. *Iablonsky* in comment. laud. p. 464 ſq.

tationem accuratius indagarem, quae Ill. Paulo probata est), nexum versus 48. et 49. suadere, vt verba πας γαρ πυρι αλισθησεται de conditione potius futura hominum supplicio traditorum interpretemur, idem me prohibet, quo minus iis calculum addam, quorum sententias modo perlustrauerim. Tum, etsi concedimus, πυρ interdum tropice de adflictionibus dici, calamitatibus, periculis (quod egregie docuerunt Glassius in philol. s. loco nota 8. laud. p. 1220. et S. V. *Schleusnerus* in lexico sub voc. πυρ), ingenue tamen profiteor, me non adduci posse, vt existimem, illud πυρι in hac orationis serie aliter, quam de igne Geennae futuro (s. omnino de poenis futuris) recte intelligi, quum eodem sensu v. 47. et 48. vsurpatum fuerit, neque Iesus insuper aliquid addiderit, vnde eluceſceret, iam (v. 49. in.) alio sensu dici tropico.[13]) (Qui vero sub πυρι vel efficaciam Spiritus diuini, vel doctrinam euangelicam,

13) Idem sententiae obstat, quam *Liebe* in *Augusti* diario: theologische Monatsschrift für das Jahr 1801. 1. Jahrgang 4. Heft p. 292 folgg. defendit. Existimat quippe, Iesum h. l. Apostolis suis mala nuntiare et vexationes, quarum igne ipsi, praecones doctrinae suae futuri, Deo consecrati, ceu victimae, saliri debeant. Neque necessitas huius interpretationis eo potest demonstrari, quod idem Christi effatum, quod Marci c. 9. v. 50. legitur, apud Matth. 5, 13. sermonem, quo discipulis suis vexationes nuntiat instantes, proxime excipiat (coll. Luc. 14, 34.) Haud raro enim Iesus vnam eandemque gnomen, eandemque imaginem, locis diuersis sensu atque nexu diuerso vsurpauit.

vel moleſtias e certamine ſtrenuo cum adfectibus et cupiditatibus ſubeundo oriundas intelligunt, argumentis deſtituuntur philologicis, quae ad eiusmodi tropicam vocabuli interpretationem ſtabiliendam poſſint ſufficere.) Denique, quum Hebraei veteres victimis minime propterea, vt eas a putredine defenderent, ſed longe aliis de cauſis (ſupra commemoratis) ſalem adſperſerint, ne apta quidem fuiſſet comparatio hominis, qui vel calamitatibus huius vitae, vel Spiritus diuini efficacia, vel doctrina euangelica adfectus malos grauiter coërceri iubente ab eiusmodi peruerſitate, quae eum poenis futuris obnoxium reddere valeat, immunis ſeruatur, atque victimae Deo offerendae, cui ſal adſpergitur.

Ad *Apoſtolos Ieſu Chriſti* verba v. 49. priora referri voluit V. *Muzelius* [14]), qui Seruatorem, ratione habita eorum, quae v. 47. 48. de poenis in vita altera futuris monuiſſet, v. 49. hanc ſententiam addidiſſe cenſet, eiusmodi quidem formulis enuntiatam, quae ſententiam vniuerſe valentem ſignificent, attamen ad *legatos Chriſti* (quibus ipſe ſupra v. 34 ſqq. animum commendauerat modeſtum, ſubmiſſum, ab omni ſuperbia remotiſſimum, adfectibus malis, nimiae potiſſimum honoris externi cupiditati, forti-

14) *Beytrag zur Erklärung der bibliſchen Stelle Marci 9, 49. 50. von D. Muzel, in Heukens Muſeum für Religionswiſſenſchaft in ihrem ganzen Umfange, erſten Bandes zweytem Stück*, 1803. *S.* 375 *ſqq.*

ter repugnantem) praecipue transferendam: *quemadmodum victima quaeuis ſale conſpergi ſolet, vt a putredine defendatur, ita quiuis veſtrum tentationes (igni ſimiles) experiatur neceſſe eſt, quibus (ſtrenue ſuperandis) ceu ſale ab illa pernitie defendatur, exſpectanda omnibus* (v. 48.) *qui cupiditatibus malis obſequi maluerint.* Sed nolo cauſas repetere ſupra expoſitas, cur neque vocabulum πυρι in hac orationis ſerie ſatis commode aliter, quam de igne Geennae (ſ. poenis futuris) intelligi, neque partem priorem totius effati v. 49. vel ad conditionem atque ſtudia huius vitae terreſtris, vel ad aliud hominum genus, ab eo diuerſum, quod verbis v. 48. ſignificatum fuerit, recte referri cenſeam. Obſtat praeterea, quantum equidem ſentio, rationi a V. Muzelio propoſitae, quod ne recte quidem docere liceat, quomodo *ipſis tentationibus* (nec potius doctrinae Chriſtianae, ſ. omnino praeſidiis, quae faciant, vt homo tentationes illas fortiter ſuperet) *vis ſaliendi* (hominem a peccatis immunem ſeruandi) tribui potuerit [15])?

II.

Sequitur, vt *de iis* breuiter videamus, qui, quum intellexiſſent, alia huius effati interpretandi tentamina ſuis premi difficultatibus, *ſententiam loci facilius ita explicari iudicauerint, vt*

15) Eandem fere viam ingreſſus fuerat *Lambertus Bos* in exercitatt. philologg. p. 16.

omnino de nexu cogitetur nullo, quo comma 49. *verbis iungatur proxime praecedentibus.* Video autem huius generis interpretes in *duas partes* abeuntes. Alii quippe, etsi negant, versum 49. iis cohaerere, quae v. 48 leguntur, concedunt tamen, *respexisse Seruatorem (quum diceret* πας γαρ πυρι αλισθησεται etc.) *ad cohortationes illas superiores, quibus* (v. 35—41.) *Apostolos excitasset, vt omni contentione ambitiosa abstinerent, concordiae studiosi essent, neque iusto durius de aliis iudicarent.* Maluerunt alii *versum* 49. *ab omni oratione antecedente prorsus separari.* Prius S. V. *Stolzio* [16]) praeplacuit, cui Seruator paucis haec videtur enuntiasse: *video vobis etiamnum vitia quaedam inhaerere ac studia inprobanda, quae ex animis vestris, etsi praesidiis duris ac molestis (ceu igne) siat, remoueri (veluti sale exedi) debeant, vt homines euadatis Deo omni ex parte probati, quemadmodum victima quaeuis sale consecratur.* Verum, vt alia argumenta praeteream (ex iis, quae in antecedentibus contra alios interpretes disputata sunt, facile intelligenda), quae mihi non permittunt, vt ad partes *Stolzii* transeam, in eo potissimum offendo, quod Iesus (hac ratione probata) vnam eandemque notionem praesidiorum, quibus studia inprobanda ex animis Apostolorum remouenda sint, imagine duplici (et salis, et ignis) enuntiasse existimandus sit, cuius imaginum coniunctionis (paulo obscurioris) nulla

16) cfr. *Stolz Erläuterungen zum N. T. zweytes Heft (Hannover* 1807.) p. 12 sq.

ratio appareat idonea. Accedit, quod in ſeqq. (v. 50.) ſalis mentio alio plane ſenſu facta eſt. Singularis eſt *Bolteni*[17]) coniectura, praeeunte Syro interprete πας pro παν accipientis (ex vſu loquendi Hebraeorum, qui loco generis neutrius et masculinum et foemininum adhibent) et verba vtriusque membri v. 49. ad vnam eandemque ſententiam referentis, quam Chriſtus de ſacrificiis omnibus ſaliendo igni praeparandis enuntiauerit: „*alles muſs zum Verbrennen ge-*„*ſalzen werden, alle Opfer muſs man gehörig ſal-*„*zen.*“ Exiſtimat quippe, Seruatorem hanc vniuerſam ſententiam bis enuntiatam praemitti voluiſſe commendationi ſalis i. e. (vt *Boltenus* verba ſeqq. interpretatus eſt) amoris atque concordiae mutuae v. 50. ſequenti, cui celebrandae et Apoſtolis grauiter iniungendae contentio illa ambitioſa ſectatorum Chriſti anſam dederit ſupra v. 33. 34. commemorata. Quanquam ipſe olim in verſione mea librorum N. F. latina hanc interpretandi rationem probaueram, nunc tamen (in noua huius verſionis editione, quae a. MDCCCXI. prodiit) relinquendam cenſui, quum neque cauſa pateat iuſta, quare hoc potiſſimum loco ſcriptum fuerit πᾶς pro παν, neque mihi perſuadere poſſim (niſi alia huius effati interpretandi ratio nulla probabilior viſa fuerit), Chriſtum nonniſi vnam eandem-

17) cfr. *der Bericht des Markus von Ieſu dem Meſſias, überſetzt mit Anmerkungen von Bolten, Altona*, 1795. p. 151 ſq. Similiter R. *Eutherus* vertit: *es muſs alles mit Feuer geſalzen werden; und alles Opfer wird mit Salz geſalzt.*

que ſententiam *vtroque membro* iisdem fere verbis enuntiaſſe. Qui vero comma 49. ab omni oratione antecedente prorſus ſeparandum exiſtimant, vel cum *Heumanno* [18]) ita vertunt: *quemadmodum quaeuis ſacrificia (ſecundum praecepta legis Moſaicae) ſale ſunt adſpergenda (atque ſic purganda), ita neceſſe eſt, quicunque Deo conſecrati ſint* (Chriſto addicti), *inprimis doctores religionis Chriſtiani, vim animum purgandi (luſtrandi) experiantur, quam ignis Spiritus diuini (ſalis inſtar) habeat* (in qua quidem explicandi ratione, vt taceam, ſalem apud veteres ſacrificiis non tam propter puritatem quam aliis de cauſis ſupra commemoratis adſperſum fuiſſe, neque arbitraria placet vocabuli πυρ interpretatio, neque, quod efficaciae Spiritus diuini deſcribendae duplex imago et ſalis et ignis inſeruiiſſe dicitur); vel cum Ill. *Hezelio* et S. V. *Kuinoelio* [19]) totum effatum, nulla orationis ſerie antecedentibus nexum, de Apoſtolis pronuntiatum exiſtimant: *quilibet veſtrum calamitatibus* (ſ. *vexationibus*) *veluti ſalari debet*, i. e. *ſaluti futurae praeparari* (ſ. *a vitioſitate, ac veluti putredine animi ſeruari immunis*), *quemadmodum oblationes omnes ſale condiendae ſunt.* Neque negauerim, ea potiſſimum, quae *Kuinoe-*

---

18) cfr. *Heumanns Erklärung des N. T. erſter Theil* (*Hannover*, 1750.) p. 634. 35.

19) cfr. *die Bibel alten und neuen Teſtaments mit vollſtändig erklärenden Anmerkungen von Hezel, achter Theil* (*Lemgo*, 1787.) S. 336. V. *Kuinoelii* commentarius in libros N. T. hiſtoricus, Vol. II. Lipſiae, 1809. p. 127 ſqq.

lius in commentario erudito disputauerit, non tantum ſententiam his verbis conciliare idoneam, ſed etiam facilitate quadam commendari, ſi modo conceſſum fuerit, comma 49. antecedentibus nulla cohaerere ſententiarum ſerie. Concedimus item lubentiſſime, et fieri *potuiſſe*, vt Marcus effatum, quod Chriſtus alio potius tempore et loco pronuntiaſſet, huic orationi Seruatoris propterea inſereret, quod ignis (v. 48.) et ſalis (v. 50.) mentio facta eſſet, neque eiusmodi coniecturam ab indole euangeliorum Matthaei, Marci, et Lucae prorſus alienam [20]) eſſe, et voculam γαρ ſubinde ab initio effati cuiusdam ita poni, vt minime nexui ſignificando inſeruiat, quo hoc effatum *antecedentibus* cohaereat [21]). Neque vero facile adduci poſſum, vt exiſtimem, in eiusmodi quoque effatis explicandis vel illius coniecturae vſum fieri debere, vel vulgarem ſignificationem voculae γαρ relinquendam eſſe, quorum interpretatio ita conſtitui *poſſit*, vt ſermoni antecedenti ſerie iungantur apta et idonea [22]).

---

20) Id quod praeter alios Ill. *Eichhornius* nuper de Matthaeo potiſſimum coniecit: *Einleitung in das Neue Teſtament, erſter Band*, Leipzig, 1804. S. 351 ſq. 502 ſq.

21) Minime tamen cum *Heumanno* contendere auſim, coniunctionem γαρ haud raro *prorſus abundare*. cfr. quae egregie monuit B. *Weiske* in libro: pleonaſmi graeci (Lipſ. 1807.) p. 177 ſq.

22) An forte coniecturam illam noſtro loco explicando propterea adhibendam putabimus, quod v. 50. ſimiliter effatum

III.

Liceat igitur, his peractis, *meam loci vexati interpretationem paucis subiungere.* Quo diutius sententias aliorum interpretum examinaui, eo certius mihi persuasi, in effato nostro explicando has leges esse tenendas: 1) eligendam esse eiusmodi interpretationem, qua comma 49 verbis proxime antecedentibus nexu iungatur commodo (quum et vocula γαρ et vsus Substantiui πυρ animum cuiusque lectoris ad aliquam sententiarum seriem indagandam pronum reddat et procliuem); 2) membrum prius πας γαρ πυρι αλισθησεται propter versum 48. ad homines, qui poenis vitae futurae se obnoxios reddiderint, eorumque conditionem futuram referendum esse (id quod supra in explicanda III. *Pauli* sententia docuimus); 3) vocabulum πυρ *de igne Geennae* (s. poena futura) interpretandum, quum eodem sensu v. 48. fuerit adhibitum (cfr. supra p. 20. monita); 4) verbo αλιζεσθαι in membro priore obuio (vbi res ipsa docet, non posse sensu proprio intelligi) *eiusmodi significationem tropicam* vindicandam, quae satis commode ex iis, quae v. 50. de sale dicuntur, erui possit; 5) πυρι minime pro Dativo commodi accipiendum, immo vertendum: *per ignem*, suadentibus quippe *oppositionis* le-

Christi alio tempore enuntiatum (Matth. 5, 13.) in hanc orationem translatum fuerit? Verum enimuero, quis tandem demonstrare ausit, non potuisse Seruatorem idem effatum gnomicum temporibus diuersis saepius eloqui? cfr. Lucae 14, 34 sq.

gibus (ſiquidem nemo eſt, qui vocabulum ἁλὶ in membro poſteriore obuium Datiuum eſſe putet commodi); 6) in explicando membro poſteriore καὶ πᾶσα θυσία etc. non negligendam eſſe ſignificationem verborum propriam, etſi tropicam eidem coniungendam eſſe largiamur (patet quippe, verba laudari e Leuitico c. 2. v. 13. ſecundum verſionem LXX. depromta, de ſacrificiis proprie ita dictis enuntiata). Docuimus ſupra, ſollennem eſſe ſcriptoribus ſacris comparationem *ſapientiae verae* (*diuinae*) atque ſalis. Neque alio ſenſu Chriſtus v. 50. [23]) praeſtantiam ſalis praedicaſſe atque discipulos cohortatus eſſe videtur, vt ſalem retinerent. Quae quum ita ſint, Seruatorem v. 49. (iam de imagine ſalis cogitantem, qua discipulis v. 50. veram ſapientiam diuinam, ſtudium concordiae mutuae complectentem, commendaturus eſſet) de hominibus ſupplicio Geennae traditis hoc enuntiaſſe mihi perſuaſum habeo,

---

23) Quanquam *Boltenius* in notis ad h. l. p. 153 ſq. probe docuit, ſalem apud vett. ſymbolo quoque *amicitiae conſtantis* ac *foederis firmi* inferuiiſſe (2. Chronicc. 13, 5. Numerr. 18, 19.) atque verbis vltimis εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις ſententiam verborum ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας quodammodo declarari; minime tamen inde ſequitur, negligendam eſſe notionem vniuerſam verae ſapientiae Chriſtianae. Quid? quod ſtudium concordiae Chriſtianae hac vniuerſa verae ſapientiae notione comprehenditur? Sententia membri poſterioris v. 50. haec eſt: retinete ſalem (ſeruate veram ſapientiam diuinam, quae animos veſtros praeſtet incolumes); *inprimis* pacem mutuo colite (atque ita homines vos gerite ſale ſapientiae veriſſimae inbutos).

fore, vt illi, qui salis (verae sapientiae Christianae) vsum nullum in hac vita terrestri feciſſent (nec reſiſtere voluiſſent illecebris vitiorum), *in vita altera, poenis edocti, neceſſitatem ſentirent ac praeſtantiam ſapientiae verae, atque reſipiſcendum eſſe intelligerent.* Iuuat his locum Lucae euang. c. 16. v. 27. ſqq comparare, vbi homo diues inducitur, ſupplicio vitae futurae traditus, probe iam intelligens, mentem citius fuiſſe mutandam, atque obſequium praeſtandum doctoribus diuinis.[24]). Neque vero, hac ratione admiſſa, nexu caremus idoneo, quo verba, quae addita legimus: καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται antecedentibus iungantur. Etenim, quum Ieſus verbo *ſaliendi* ſenſu tropico de hominibus damnatis vſus fuiſſet, eorum recordatus, quae in libris V. T. de victimis leguntur ſale proprie ita dicto condiendis, non ſine quodam verborum luſu hoc ipſum V. T. effatum ſtatim addidit, ita vt ſignificationi huius praecepti propriae tropicam iungeret, de hominibus Deo conſecratis cogitans, qui *in hac*

24) Ne quis obiiciat, huic interpretationi verba obſtare v. 48. quippe quae *aeternitatem* poenae infernalis declarent (correctioni hominis damnati futurae, ſalua iuſtitia diuina, non omnino conciliandam), addere liceat, verba v. 48. e formulis Iudaicis iisdemque tropicis eſſe depromta, neque vnquam Chriſtum eiusue diſcipulos diſerte docuiſſe, fore, vt homines damnati in perpetuum *iisdem poenis* manerent obnoxii (nunquam mitigandis,) etſi animum immutauiſſent. Sententiam meam de locis N. F. huc ſpectantibus paucis expoſui in epitome mea theologiae Chriſtianae dogmaticae (Lipſ. 1811.) p. 150 ſq.

ipsa vita terrestri animum suum sale sapientiae diuinae conspergi patiantur. Sententia totius loci ita se habet: *quiuis illorum hominum (qui supplicio Geennae sunt obnoxii) nunc demum hoc igne (s. per hunc ignem) sale (quod ipsis in vita terrestri versantibus defuit) inbuetur* (i. e. nunc demum poenis vitae futurae discet resipiscere). *Alio sensu illi salientur, quam victimae Deo sacrae, de quibus loco illo scriptum legitur: victima quaeuis sale est conspergenda.* His enim similes sunt homines in hac vita terrestri animis suis sapientiae diuinae sale inbuendis prospicientes, qui Deo studeant probari. *Sie alle (die zur Strafe Verurtheilten) werden dort erst, mit dem Feuer der Gehenna gesalzt werden (d. h. sie werden nun erst durch Schaden klug werden). Ich sage, mit Feuer gesalzt, nicht mit Salz, wie die Gottgeweyhten Opfer, von denen es dort heisst: jedes Opfer soll mit Salz gesalzt werden. (Eine ganz andere Bewandniss hat es mit den Gottgeweyhten Opfern im Tempel, und den, ihnen ähnlichen, Gottgeweyhten Seelen; sie empfangen hier das Salz der Weisheit; sie darf nicht erst das Feuer der Gehenna salzen).*

Quum prima vice commentationem meam vernacule translatam edidissem, conferendo libro *Eckermanni*, haud pauca bene obseruata complectente, quem illo tempore nondum ad manus habueram: Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T., erster Band, Kiel, 1806. intellexi, hunc virum doctissimum in explicando membro priore versus 49. fere eundem iniisse tramitem. Ille enim in libro laud. p. 243. haec obseruat:

denn im Feuer wird ein ieder geſalzen werden, wie iedes Opfer mit Salz geſalzen wird. (Denn ein ieder wird durch die Vorwürfe ſeines Gewiſſens nach dem Tode zur Erkenntniſs ſeiner Verkehrtheit erweckt werden, die ein eben ſo nothwendiges Erforderniſs würdiger Verehrung Gottes und des göttlichen Beyfalls iſt, als das Salz bei iedem Opfer. *Geſalzen* ſteht bildlich für *gewitzigt*.) Quanquam Ekermanno, quod verbum αλιζεσθαι attinet in membro priore obuium, plane adſentior, malim tamen voc. πυρ de *vniuerſa notione poenarum*, quae poſt mortem futurae ſunt, quam de ſola conſcientia mala eiusque doloribus internis intelligere. Alterum vero hemiſtichium, quod e ſententia huius interpretis doctiſſimi obſeruationem vniuerſam enuntiat, quae ad homines illos, poenis demum vitae futurae emendandos ſpectet, propterea aliter intelligendum exiſtimo, quod nexus ſententiarum mihi quidem facilior apparet et ſimplicior, ſi conceſſum fuerit, verba: πας γαρ et πασα θυσια, itemque illa: πυρι αλιζεθαι et αλι αλιζεσθαι ſibi inuicem eſſe oppoſita. Accedit, quod antecedentia v. 42—48. (vbi Ieſus docuerat, bonis huius vitae vel cariſſimis renuntiandum eſſe, ſi forte hominem ad peccata ſollicitauerint, quae eum poenis Geennae reddant obnoxium) pariter atque ſequentia v. 50. mihi perſuadent, ſignificationem tropicam ſubſtantiui αλας limitibus iuſto anguſtioribus circumſcribi, ſi quis ſolam agnitionem peruerſitatis moralis (cum Ekermanno) intellexerit, ſed notionem vniuerſam ſapientiae verae ac diuinae, qua re-

ligio Christiana cultores suos inbuat, rectius teneri.

Restat, vt iis respondeam, quae mihi nuper a duobus theologis, meam loci vexati interpretationem acute examinantibus, V. *Fritzschio* (in diario *Tzschirneri*: Memorabilien für das Studium und die Amtsführung des Predigers, Vierten Bds. ersten St. Leipzig, 1814 8.) atque *Voigtlaendero* (in eodem diario Fünften Bds. ersten St. 1815.) fuerint opposita. Negauit quippe Doct. Fritzsche l. l. phrasin πυρι αλιζεσθαι recte intelligi de eo, qui poenis vitae futurae tolerandis resipiscere discat, quum alia effata vel profanorum Graeciae auctorum, vel ipsius scripturae sacrae desiderentur, quae verbo αλιζεσθαι eiusmodi vim ac potestatem vindicent. Quanquam hucusque loca nulla deprehendi, vbi *verbum* αλιζεσθαι eodem plane sensu tropico adhibeatur, videor tamen mihi argumentum philologicum, quo causam meam tueri recte possem, iis protulisse, quae supra (in examinandis variis eorum interpretum sententiis, qui versum 49. commatibus antecedentibus propius coniungendum existimant) de vsu tropico *Substantiui* αλας, extra omnem dubitationem posito differui. Licet insuper eo prouocare, quod vocab. αλας in ipso nostro capite v. 50. eandem potestatem obtinet tropicam. Neque his differendis docere volui, verbum αλιζεσθαι *in sermone proprio* de homine, qui resipiscat, adhiberi. Immo lubentissime omnibus huius loci interpretibus largior, αλιζεσθαι et h. l. et aliis omnibus proprie quidem significare:

ſaliri, itemque ſubſtantiuum αλας et h. l. v. 50. et aliis omnibus proprie ſalem innuere. Iam vero ſupra docuimus (contra Iablonskium, Boltenum, aliosque huius generis interpretes), ex hac propria poteſtate verbi αλιζεσθαι non poſſe eiusmodi interpretationem totius loci erui, quae ceteris verbis in effato noſtro obuiis, eiusque conſilio et nexui probe conueniat. De alia eiusdem verbi poteſtate, quae pariter atque illa (ſaliendi) ad vſum loquendi *proprium* pertineat, hucusque nemo interpretum nos edocuit. Quid igitur reſtat, niſi vt legem ſequamur hermeneuticam, quae eiusmodi locis, vbi poteſtas vocabuli *propria* ad difficultates effati explicandi remouendas nullo pacto ſufficiat, interpretem de ſermone *figurato* cogitare iubeat? Quem quidem tramitem plerosque huius loci interpretes recte iniiſſe video, etſi in ipſo ſenſu verbi αλιζεσθαι figurato, quem h. l. teneri oporteat, conſtituendo (vt ſupra vidimus) in partes abierint diuerſiſſimas. Quum vero ex pluribus iisque diuerſis, quae vni eidemque vocabulo tribui poſſint, ſignificationibus *tropicis*, ea potiſſimum eligenda ſit, quae partim nexui orationis optime conueniat, partim ex analogia quadam ſermonis figurati lucem lucrari poſſit idoneam; conſultiſſimum iudicaui, notionem *ſapientiae*, quam ſubſtantiuo αλας in vſu loquendi *tropico* competere exemplis pluribus ſupra demonſtraui, et ipſe verſus huius capitis 50. oſtendit, ad verbum αλιζεσθαι transferre, ita vt h. l. notionem reſipiſcendi obtineat. Quodſi quis obiicere voluerit, alia effata, vbi verbum αλιζεσθαι eodem plane

ſenſu tropico obueniat, nondum excitata eſſe; liceat omnino idem argumentum aliis omnibus huius loci interpretibus opponere, qui in vocab. αλιζεσθαι explicando a poteſtate eius propria diſceſſerint. Meae vero interpretationi praeſidium ſingulare, quo ceteri interpretes deſtituantur, inde accedere video, quod ſubſtantiuum αλας v. 50. ſenſu tropico (aliis exemplis abunde confirmato) adhibitum facile nos ad eam ducat verbi αλιζεσθαι poteſtatem tropicam, quam h. l. aliis praeferendam iudicauerim. Ceterum neminem fugit, alios quoque N. F. interpretes haud raro, vbi poteſtas vocis propria ad ſenſum effati recte intelligendum adhiberi omnino nequeat, eiusmodi ſignificationem vocis explicandae tropicam amplecti, quam ipſa rei natura, analogia linguae, nexus ſermonis commendauerit, etſi hucusque nulla eiusdem vocis eodem plane ſenſu vſurpatae exempla deprehenſa fuerint. Sufficiat ex locis id probantibus haud paucis duo protuliſſe effata, alterum Matth. 19, 12. vbi nemo dubitat, verba ὅιτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς metaphorice vertere: qui ſponte coniugio abſtinent, alterum 1. ad Corinthh. 11, 10. cuius effati interpretes optimi vocem ἐξουσία de ſigno poteſtatis virilis explicant, quanquam aliis locis deſtituuntur, vbi et phraſis illa: εὐνούχ. ἑαυτον, et ſubſtantiuum ἐξουσια eodem plane ſenſu tropico adhibeatur. Iam de ipſo quidem vocabulo αλας (v. 50.) dubitantem video Doctiſſ. Voigtlaenderum in comment. laud. an recte dixerim, ſymbolo inſeruire ſapientiae verae ac diuinae, qua doctrina Chriſtiana cultores ſuos

inbuat? In eo maxime offendit, quod verba: ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι ἀυτὸ ἀρτύσετε; nequeant huic tropicae interpretationi ſubſtantiui αλας recte conciliari, neque, hac ratione probata, pateat, quomodo verſus 50. antecedenti commati cohaereat? Equidem in his nullam video difficultatem, ſi modo tenuerimus, Ieſum, poſtquam dixiſſet: „quinis illorum ho„minum, qui ſupplicio Geennae ſunt obnoxii, „nunc demum, per hunc ignem, ſale (ſapien„tiae verae) inbuetur, alio ſenſu, quam victi„mae ſaliuntur Deo ſacrae (quibus ſimiles ſunt „homines in hac vita terreſtri animos ſapien„tia vera inbuentes), de quibus loco illo ſcri„ptum legitur: victima quaeuis ſale eſt con„ſpergenda“, deinceps ad praeſtantiam huius ſapientiae verae ac diuinae (religionis Chriſtianae) vniuerſe laudandam transiiſſe, ſuosque discipulos cohortatum eſſe ad ſalem illum animis ſuis conſtantiſſime retinendum, quo et ipſi ſapientia diuina perpetuo gauderent, et alios poſſent hac ſapientia inbuere ſalutari. Quemadmodum Ieſus apud Matth. 5, 13. Apoſtolos ſuos το αλας της γης appellauerat, ſiquidem doctores eſſent prodituri, ſapientia vera diuina inbuti, eiusque beneficio animos hominum edocentes, Deo conſecrantes, a putredine morali defendentes; ita etiam h. l. (v. 50.) imaginem ſalis a notione ipſius ſapientiae diuinae ad homines, hanc ſapientiam animo poſſidentes, eiusque praecones transferre potuit. Sal, inquit, (ſapientia illa diuina) res eſt egregia, praeſtantiſſima. Vbi vero ſal inſipidum factum eſt (ſaporem ſuum amiſit), nulla amplius praeſtantia

et vtilitate gaudet, neque in integrum restituitur. (Si vos, Apostoli mei, segnes ac tardi fueritis in religione diuina profitenda atque cognoscenda, neque sapientiam diuinam vobis traditam constanter seruare volueritis, animus vester omnino insipidus euadet, iacturam boni verissimi facietis haud reparandam, neque sermones vestri atque facta vllam habebunt vtilitatem ac praestantiam). Constanter igitur salem retineatis!

Negauit porro V. Fritzsche l. l. vocem θυσια h. l. recte transferri ad notionem hominum, qui Deo probari studeant, eique se totos consecrauerint, quanquam ipse concedit, vsum loquendi noui foederis huic interpretationi nequaquam repugnare. Desiderat quippe vestigia in ipso contextu sermonis huius effati obuia, quae eiusmodi significationem tropicam h. l. admittendam, et significationi propriae coniungendam esse doceant. Videor mihi iam supra in diiudicandis aliorum sententiis ostendisse, quomodo fieri potuerit, vt imago illa Seruatori hoc potissimum loco ac tempore in mentem incideret. Addere liceat, cognationem notionum ignis atque sacrificii haud negligendam esse. Quum Iesus verbum αλιζεσθαι sensu tropico adhibuisset (πας γαρ πυρι αλισθησεται), illius praecepti Mosaici, quod sacrificia Deo offerenda sale conspergi iussit (Leuit. 2, 13.) recordatus fuerat. Neminem igitur mirum habere poterit, quod Christus (quem haud raro ex vocabulo quodam aut imagine adhibita opportunitatem sumsisse nouimus, loci cuiusdam

V. T. laudándi atque ad rem praesentem transferendi) verba legis Mosaicae confestim ita laudauerit, vt significationi propriae vocabuli θυσια (quam interpreti quoque *proxime* spectandam esse minime negaui) aliam eamque tropicam coniungeret, de iis hominibus cogitans, qui in hac ipsa vita terrestri salem sapientiae verae ac diuinae sibi comparare Deoque probari studeant, atque ita factis suis animi sensum declarent, eorum sensui plane contrarium, qui vita terrestri male instituenda igni Gennae (poenis vitae futurae) semet ipsos reddant obnoxios. Licet insuper eo prouocare, quod omnino in iis Christi effatis, quae Marcus c. 9. inde a v. 40. exhibet, sermo ille obtinet breuis atque gnomicus, plura figurate dicta continens, cuius naturam atque indolem ita secum ferre videmus, vt oratio haud raro a genere dicendi proprio ad tropicum, itemque ab vna vocabuli significatione ad alteram subito transeat, neque nexus sententiarum omnium accuratius et copiosius explanetur. Nolim igitur cum Doctiss. Voigtlaendero (in comment. laud.) adfirmare, verba και πασα θυσια αλι αλισθησεται iis locis, quae ex epistola ad Romm. 12, 1. 15, 16. laudauerim (vbi homines, qui Deo probari studeant, sacrificio siue victimae comparantur) propterea conferri non posse, quod Christus h. l. nihil ex iis addiderit, quae in effatis Paulinis modo allatis obueniant.

Obiecit porro Doctiss. Voigtlaender l. l. interpretationi, quam tentauerim, parum fa-

uere, quod vsu vocabuli καὶ vulgari ac ſollenni derelicto, alium eumque rariorem amplectatur, quo oppoſitioni inſeruiat indicandae. Equidem de vocibus ſingulis recte explicandis ita ſentio, vt, ſi modo demonſtratum fuerit, aliquam vocis interpretandae ſignificationem ab vſu loquendi non abhorrere, ceteris argumentis eandem ſignificationem hoc potiſſimum loco interpreti commendantibus, ceteris omnibus eam praeferre nullus dubitem. Copulam καὶ interdum *aduerſatiuam* eſſe, exempla plura demonſtrarunt, v. c. Matth. 11, 17. (καὶ οὐκ ὠρχήσασθε pro: οὐχὶ δὲ ωρχ.) et v. 19. (καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία pro: ἐδικαιώθη δε ἡ σοφία etc.) Cfr. B. *Storr* in comment. quam laudaui, opuſculis eius academicis inſerta Vol. II. p. 27. Perpendamus inſuper effatum legis Moſaicae, quod Chriſtus verbis: καὶ πασα θυσια etc. laudauerit, cum praefixo ו (cui graecum καὶ reſpondere ſoleat) incipere: וְכָל־קָרְבָּן מִנְחָתְךָ בַּמֶּלַח תִּמְלָח, ideoque in verſione Alexandrina in libris N. T. ſaepenumero adhibita ſic transferri: καὶ πᾶν δῶρον θυσίας ὑμῶν ἁλὶ ἁλισθήσεται.

Nullius denique momenti eſſe video, quod V. Voigtlaender mihi oppoſuit, verbum αλισθησεται, ſecundum meam totius effati interpretationem, parum recte in membro quidem priore ſenſu futuri proprio, in membro poſteriore ſenſu temporis praeſentis accipi. Facile enim patet, Seruatorem verba praecepti Moſaici *verbotenus* laudaſſe (exceptis illis קָרְבָּן מִנְחָתְךָ pro quibus paulo breuius dixit θυσια), ideoque, quum in textu illius praecepti hebraico pariter atque in verſione eius Alexandrina forma temporis fu-

turi obueniat, nullam interpretationis noſtrae difficultatem in eo deprehendi poſſe, quod Ieſus, praeceptum Moſaicum accuratius laudans, ſuoque conſilio accommodans, formam futuri ſenſu temporis praeſentis adhibuiſſe cenſeatur. Non poſſum ſatis mirari, quod Cenſor ille doctiſſimus, his, quae in promtu poſita videmus, plane praeteritis, de ſoloeciſmo cogitauerit, qui vel ab auctore euangelii commiſſus fuerit, vel mihi vertendo exciderit.

Ipſe quidem Voigtlaenderus l. l. p. 81. ſeqq. aliam commendauit verſus 49. 50. interpretationem. Vtriusque enim commatis ſenſum atque nexum hac ratione (vt ipſa eius verba latine quidem translata adferam) explanare ſtuduit: quiuis enim illorum, qui Geennae condemnati ſunt, igne ſalietur (punietur) et quoduis ſacrificium (Geennae deuotum) ſalietur (igne punietur.) Habet omnino illud ſal (ille Geennae ignis) vtilitatem ſuam. Verum, ſi forte ſal naturam ſuam atque virtutem amiſerit (ſi ignis ille ſuam vrendi vim amiſerit, atque exſtinctus fuerit), quomodo tandem ei poterit reſtitui? Ipſi igitur vobiscum ſalem habeatis, ne olim igne Geennae vobis adſpergi debeat, (i. e. vt poenam vitae futurae effugiatis, ipſi vos in hac vita terreſtri puniatis, manu abſcindenda, pede amputando, oculis euellendis. cfr. v. 43. 45, 47.) Quo minus huic ſententiae calculum addam, his potiſſimum argumentis impedior. 1.) Iterum liceat ingenue profiteri, me nondum potuiſſe cauſam indagare idoneam, quae Chriſtum mouerit, vt notionem hominis

damnati, qui igne Geennae (poena vitae futurae) grauiter adficiatur, formula prorsus insolita exprimeret πυρι αλιζεσθαι. Neque ad remouendam hanc dubitationem sufficit, cum Voigtlaendero p. 81. monuisse, Iesum propterea verbum *salire* sensu tropico *puniendi* adhibuisse, quod animo ipsius obuersatum fuerit effatum gnomicum, quod v. 50. profertur: ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι ἀυτὸ ἀρτύσετε; Iterum enim quaerimus, quomodo tandem Christo de hominibus loquenti, qui poenas aeternas vitae futurae incurrant, illud effatum gnomicum omninoque cogitatio salis in mentem venire potuerit? Quam quidem difficultatem prorsus euanescere videmus, si modo substantiuo αλας v. 50. significationem tropicam *sapientiae verae diuinae*, ideoque verbo αλιζεσθαι (v. 49.) notionem *resipiscendi* vindicauerimus. Iam enim nemo facile in eo poterit offendere, quod Seruatori, igne Geennae iterum iterumque commemorato, et notio vniuersa sapientiae verae ac diuinae, cuius ope homo Deo possit probari, illamque perniciem effugere, et metaphora salis, ad sapientiam veram describendam transferri solita, in mentem venerit. 2.) Quanquam Voigtlaendero lubentissime largior, hominem sceleſtum, poenae futurae destinatum, cum victima (θυσια) comparari potuisse (cfr, epist. Iacobi c. V. v. 5.) nequeo tamen mihi persuadere, Seruatorem membrum posterius: και πασα θυσια αλι αλισθήσεται (vt interpres ille existimauit) eo consilio addidisse, vt discipulis audientibus sensum declararet *tropicum*, quo phrasin plane insolitam adhibuisset πυρι αλιζεσθαι.

Immo, quum eiusmodi comparatio ignis Geennae cum sale, quo victima adspergatur, ab omni vsu loquendi atque sermonis tropici analogia prorsus abhorreret, debuisset, opinor, auditores suos aliis verbis, sermone magis perspicuo, de illo potissimum sensu effati sui tropico edocere.[25]) Multo facilius in animis audientium, loco Leuitici laudando (και πασα etc.), cogitationem hominum excitare potuit, qui in hac ipsa vita terrestri sapientiam veram ac diuinam (siue, ex vsu loquendi tropico minime incognito, *sal animi* praestantissimum) lubenter admittant, atque huius sapientiae verae studio et amore se totos Deo consecrent, tanquam sacrificia Deo probata, ita vt simul pateret, Christum sub iis, qui igne Geennae saliendi essent, eos intellexisse, qui in altera demum vita, poenis grauissimis correcti, de necessitate resipiscendi cogitaturi essent. 3.) Res ipsa docet, epitheton καλον, quod sali v. 50. tribuatur, sapientiae verae ac diuinae multo potius, quam cogitationi *poenae* olim in Geenna futurae accommodatum esse. Quanquam enim iustitia, sanctitas, sapientia Dei perfecta eius-

25) Facile quiuis sermonem Christi intelligeret, si dixisset: quisque (horum damnatorum) igne Geennae grauiter adficietur, victimae similis immolandae, quae igni traditur. Nemo autem facile dixerit, quid sibi h. l. illa velit *salis* commemoratio, si finem primarium totius effati v. 49. ad solam *ipsius poenae* eiusque grauitatis notionem describendam pertinere censuerimus.

modi poenas efflagitat de hominibus sceleſtis olim exercendas, dubito tamen, an poenae illae recte potuerint ſimpliciter καλον (res bona) appellari, niſi ſumamus (qua de re Voigtlaenderum quidem omnino non cogitari voluiſſe video), Seruatorem ad conſilium numinis diuini reſpexiſſe, homines, qui poenis illis obnoxii fuerint redditi, ſenſim ſenſimque corrigendi. 4.) Verba v. 50. εαν δε το αλας αναλον γενηται etc. hac ratione probata, languida apparent atque otioſa. Coniecit quidem Voigtlaenderus l. l. p. (83.) Seruatorem cauſam, quare v. 43—48. iterata vice ignem Geennae tanquam πυρ ασβεϛον deſcripſerit, v. 50. his verbis proferre voluiſſe: etenim, ſi illud ſal (ignis Geennae) vim ſuam ſaliendi (vrendi) vnquam amiſſurum eſſet, non poſſet ei haec efficacia reſtitui, neque homines Geennae condemnati amplius punirentur. Equidem (vt ſententiam meam ingenue profitear) non perſpicio, qua de cauſa huius generis vel explicatio vel argumentatio fuerit addenda. Auditores quippe huius ſermonis Ieſu Chriſti profecto in eo acquieſcere poterunt, quod *Ieſus ipſe* iterata vice illud πυρ Geennae ασβεϛον pronuntiauerat, inprimis quum cogitatio ignis Geennae haud exſtinguendi discipulis Chriſti, inter Iudaeos natis atque educatis, minime poſſet noua apparere atque inaudita. Quodſi Chriſtus aliquam huius rei demonſtrationem iudicaſſet neceſſariam, debuerat eam profecto aliunde potius repetere, quam ex ſententia illa, quam Voigtlaenderus ſupplendam cenſuit (in ipſo quidem

textu graeco v. 50. minime expreſſam), homines ſceleſtos puniri amplius non poſſe, ſi ignis ille vnquam exſtinctus fuiſſet. Nonne enim confeſtim obiicere licebat, eundem Deum potentiſſimum, qui inſtituerit, vt homines condemnati igne Geennae puniantur, vel ignem illum, etſi exſtinctus fuerit, inſtaurare poſſe, vel aliam poenam iisdem hominibus immittere? Alia plane apparet huius ῥησεως v. 50. vis et efficacia, ſi conceſſum fuerit, verba Chriſti (vt ſupra docuimus) ad Apoſtolos ſpectare cohortandos, vt ſal animi (ſapientiam veram ac diuinam) conſtantiſſime retineant, nec temere opinentur, ſe vnquam poſſe conſilio muneris ſui Apoſtolici grauiſſimo ſatisfacere, ſi negligentia ſua atque tarditate donum diuinum praeſtantiſſimum amiſerint. 5) Ne recte quidem ſibi conſtare video interpretationem a Voigtlaendero propoſitam, quum voci αλας verſu quidem 49. itemque in membro primo ac ſecundo v. 50 (καλον το αλας — αρτυσετε;) ſignificationem tribuat tropicam ignis Geennae homines condemnatos vrentis, in verbis autem eiusdem commatis poſtremis ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας aliam ſignificationem vindicari iubeat (a cogitatione poenarum vitae futurae plane diuerſam) *doloris*, quem homo *ſponte* ſubeat, bonis vitae vel cariſſimis, ſi forte ad peccata eum ſollicitauerint, conſtanter renuntiando, maliſque externis vel duriſſimis propter religionem ac virtutem tolerandis (v. 43. 45. 47.). Eiusmodi dolorem atque moleſtias, conſilio honeſtiſſimo ferendas, nemo facile *poenam* dixerit.

6.) Neque video, quomodo Iesus eiusmodi sententiam: bonis externis, vel carissimis renuntiate, et mala ferte durissima, si religio ac virtus postulauerit, ne poenas vitae futurae grauissimas incurratis, hac ratione exprimere potuerit ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, nisi eum admodum contorte et obscure loquutum fuisse censeamus. Quas quidem difficultates omnes euanescere videmus, atque praeterea ρητὸν postremam v. 50. καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις verbis antecedentibus nexu facillimo cohaerere, si modo vnam eandemque substantiui αλας significationem tropicam, qua sapientiam veram ac diuinam innuat, constanter tenuerimus.

Denique omnino miratus sum, quod Doctiss. Voigtlaenderus eam, quae ex mea verborum v. 49. interpretatione prodeat, sententiam doctrinae librorum sacrorum de aeternitate poenarum vitae futurae contradicere existimauerit. Obiecit quippe sub finem commentationis suae p. 83., explicationem mihi probatam nexui sermonis ea de causa prorsus repugnare, quod Iesus, quum antea de hominibus in Geenna versaturis iterata vice dixisset, vermes, qui eos rodant, non esse perituros, neque ignem Geennae cessaturum, non potuerit verbis πας γαρ πυρι αλισθησεται plane contrarium innuere, fore vt, si homines condemnati, poena Geennae correcti ad meliorem frugem redierint, ignis ille exstinguatur. Equidem in his contradictionem omnino nullam video, dummodo caueamus, ne verba

scripturae diuinae iusto subtilius premantur. Quemadmodum neque Christus, neque Apostoli hoc potissimum adfirmauerunt, fore, vt homines condemnati in perpetuum *iisdem poenis* (nulla ratione mitigandis) obnoxii manerent, etsi animum immutauissent (cfr. supra nota 24.); ita neque h. l. neque alibi docuerunt, poenas hominum Geennae condemnatorum *vnquam prorsus* esse cessaturas, sed vniuerse de perpetuitate quadam harum poenarum loquuti sunt, nil accuratius de quaestione definientes, vtrum perpetuitas temporis tantum, an eiusdem quoque *gradus* miseriae intelligenda esset. Ipsa natura virtutis ac vitiositatis, atque iustitiae diuinae cogitatio profecto non permittit, vt de poena hominum, qui in hac vita terrestri resipiscere noluerint, vnquam plane tollenda cogitemus. Etsi enim homo, qui, vita praua in his terris peracta, poenis vitae futurae obnoxius redditus, sensim sensimque mentem emendauerit, volente ita iudice supremo eodemque gratiae verissimae pleno, aliquando coeperit sortem experiri mitiorem; numquam tamen memoriam acerbam vitae pravae et flagitiosae in his terris peractae ex animo suo prorsus exstirpare poterit; siquidem de indole vitae futurae non possumus recte iudicare, nisi ita, vt recordationem vitae terrestris locum habituram esse concedamus. Neque vnquam fieri poterit, vt eiusmodi homines in vita post mortem futura iis, qui de animo magis magisque perficiendo in hac terra strenue cogitauerint, neque sum-

ma demum miseria Geennae corrigi debuerint, omnino pares euadant, eiusdem conditionis participes, in qua illos viderint constitutos. Nonne iam his de causis poena hominis Geennae condemnati recte dicitur *aeterna* fore, etsi concessum fuerit, sortem eius tristem, vbi resipiscere coeperit, aliquo modo mitigatum iri, et sensim sensimque in laetiorem abituram? Perpendamus insuper, in litteris sacris haud raro hanc illamque sententiam, si verba sola sequamur, vniuerse et absolute enuntiatam apparere, etsi omnino limitibus quibusdam ac terminis circumscribenda sit, vel ex ipsa rei natura, vel aliunde apparentibus. Sufficiat, vt alia exempla plura facile obuia taceamus, effatum Christi apud Matth. 12, 31. laudauisse. Quis enim est, qui neget, illud πᾶσα ἁμαρτια καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις non posse ita secundum litteram intelligi, vt Christus vniuerse, nullius conditionis ratione habita, docuisse existimetur, *quaeuis peccata* et maledicta hominibus a Deo condonatum iri (quum Iesus et Apostoli aliis locis palam adfirment, peccata remitti non posse, nisi poenitentiam veram sentiamus, atque de animo immutando cogitauerimus, atque verba huius ipsius commatis sequentia ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις manifesto peccatum aliquod commemorent, de quo non valeat, quod membro priori huius versus enuntiatum fuerit), immo sensum totius effati huc redire: aliorum peccatorum et maledictorum condonatio homini

facilius contingere poteſt, quam orationis contumelioſae eorum, qui vim diuinam me iuuantem in factis meis agnoſcere nolint, immo haec Satanae ope perfici perhibeant, eiusmodi pertinaciam et peruerſitatem ſummam declarantes, quae omnem fere ſpem poenitentiae et emendationis futurae excludat et remoueat? Nonne item, quod Chriſtus Matth. 19, 24. dixit, facilius camelum per foramen acus transire, quam diuitem regnum diuinum intrare, limitibus quibusdam coërcendum eſt, verbis ipſis verſus 23. teſtantibus, Seruatorem non vniuerſe docuiſſe, fieri *nunquam* poſſe, vt homo diues regni diuini particeps reddatur, ſed de magna tantum huius rei difficultate (quae illo potiſſimum tempore locum habuerit) cogitari voluiſſe? Quae quum ita ſint, neque doctrinae librorum ſacrorum N. F. neque analogiae loquendi in ſermonibus Chriſti conſpicuae repugnare mihi videor, ſententia verborum Chriſti (Marci 9, 49.) πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται hac ratione conſtituenda: omnes illi, qui in hac vita terreſtri emendationem nullam admiſerint, ſuisque cupiditatibus obſequi maluerint, quam voci diuinae, olim demum, poenis Geennae grauiſſimis obnoxii, hac ipſa miſeria (*ſi voluerint*) eo perduci *poterunt*, vt reſipiſcere incipiant. Ceterum Ieſus Chriſtus, ex mea quidem perſuaſione, de illa miſeriae futurae *mitigatione*, quam gratia diuina olim in hominibus ſingulis (ſub conditionibus certis) adhibitura ſit, conſulto noluit accuratius differere (etſi eam ſubinde tectius innuerit),

ne forte homines deprauati abusum huius exspectationis facerent, perperam inde colligentes, animi emendationem in vitam alteram differri posse, atque illam poenae mitigationem in ipsam totius poenae abrogationem esse abituram.

Commentatio Septima*).

Differitur de locis Geneseos, quae Dei imaginem hominibus concessam praedicant.

Siue sectio prior commentationis notionem cognationis Dei hominumque in libro Geneseos expressam indagantis.

*) Edidi hanc commentationem, eamque pro loco in ordine Theologorum Academiae Ienensis rite obtinendo publice disceptandam proposui Ienae, Calendis Augusti MDCCCXII.

Quanquam pleraeque gentes ſua habent litterarum monumenta antiquiſſima, ipſa aetate veneranda, vna tamen hac in re eminet inter omnes. Illa enim, quae inter Hebraeos ſeruata ſunt, Geneſeos documenta profecto eiusmodi natura gaudent atque indole, qua multum differant ab aliis ſcriptis ſimilibus antiquitate ſua inclutis, animosque omnium, qui vera, bona, ſancta quaeuis acute ſentire ac probe aeſtumare valeant, ad Deum conuertant, iubeantque originem huius libri agnoſcere diuinam. Cuius ſententiae argumenta nolim equidem vel ex illa petere theopneuſtiae notione, olim multis probata, qua, *quicquid litterarum ſingularum* hoc libro continetur, auxilio Dei Spiritusue diuini *extraordinario* originem debere dicitur, vel ex arbitraria eorum Theologorum interpretandi ratione, qui in tractandis voluminibus ſacris, antiquiſſimis pariter ac iis, quae ſeriori aetate ſcripta ſunt, id

vnice agunt, vt, quaecunque in his obueniant, placitis quibusdam theologicis aut philosophicis accommodent, nulla ratione diuersitatis temporum habita. Docet enim antiquissimorum gentis Hebraeae documentorum interpretatio grammatica et historica, haud pauca in iis occurrere, quae cognitionem rerum humanarum ac diuinarum mancam et imperfectam arguant, ac neminem dubitare patiantur, eo tempore litteris esse consignata, quo Hebraei (vt hac imagine vtar) in aetate puerili versarentur. Verum enimuero, quo iure haec vestigia infantiae Hebraeorum in monumentis illis obuia agnoscimus, eodem sedulo cauendum esse adfirmamus, ne forte, animum ad ea tantum aduertentes, quae parum culta et perfecta appareant, alia temere negligamus, quae luculentissime testentur, prouidentiae diuinae et curae beneficae, qua numen supremum generi humano educando quouis tempore prospexerit, documentum plane eximium in eo deprehendi, quod scripta illa et consignata fuerint temporibus antiquissimis, et summas inter rerum temporumque vicissitudines ad hunc vsque diem conseruata. Liceat mihi ingenue profiteri, iteratis curis atque studiis, quibus librum Geneseos tractauerim, magis magisque mihi persuasum esse, contineri hoc volumine germina sancta religionis morumque doctrinae vere diuinae aeternum valiturae, totumque librum, etsi multa habeat, quae nequeant secundum formulas veterum inspirationi rerum verborumque tribui, sed vsum prodant virium humanarum vulgarem,

quem scriptores illi moderante Deo fecerint, *reuelationi tamen diuinae, ceu fundamento, superstructum esse.* Sunt enim plura ex iis decretis atque placitis, in documentis Geneseos expressis, quibus alia multa innituntur et adnecti solent, ita comparata, vt multum praestent iis, quae inter alias gentes aeui antiquioris (quarum nonnullas gentem Hebraeorum litterarum artiumque studiis haud parum superasse historia testatur) de rebus diuinis ac humanis iudicata fuerint, neque pateat, quomodo Hebraeis illo quidem tempore eiusmodi persuasio contingere potuerit, nisi concedamus, *reuelationem* diuinam, cognitionis verae rerum diuinarum fontem limpidissimum ac desideriis generis humani accommodatissimum, Hebraeis placita illa suppeditasse. In his effatis, perspicuitate praecipua declarantibus, quo iure librum Geneseos diuinum praedicemus, haud pauca eorum locum tenent principem, quae ad naturam numinis diuini spectant, hominisque dignitatem. Quemadmodum enim doctrina de Deo, qualem licet e documentis Geneseos eruere, etsi anthropomorphismos habet varii generis, aliarum tamen illius aeui gentium theologiis omnibus non tantum simplicitate sua, sed etiam praestantia plane singulari antecellit, inde potissimum oriunda, quod animos hominum ad vnum Deum summum conuertit, terrae atque coeli conditorem; ita patet e pluribus locis, recte intellectis et collatis, scriptores illos antiquissimos egregie idem esse testatos, quo summam hominis dignitatem luculentissime declarari atque grauis-

ſima contineri honeſtatis et probitatis ſtudii incitamenta viri vere ſapientes, veramque religionem amplexi, omnium temporum profeſſi fuerint, *homini diuini quid ineſſe.* Eſt autem tanta huius placiti grauitas, tanta vis et efficacia ad declarandam documentorum illorum indolem diuinam, qualem ſupra praedicauimus, vt notionem cognationis Dei hominumque, qualem liber Geneſeos exhibeat, examine accuratiori digniſſimam exiſtimem, omninoque notione illa eruenda, inueſtiganda, atque illuſtranda, ad Pſychologiam ſacram Hebraeorum recte cognoſcendam ac probe aeſtumandam ſymbola haud contemnenda conferri poſſe videatur. Cuius diſputationis conſilio quum ſatisfieri prorſus nequeat, niſi quis ſingula, quae huc pertineant, Geneſeos effata eorumque ſententiam veram ſedulo indagauerit (probe cauendo, ne forte ſcriptoribus illorum temporum vel perperam ea tribuat, de quibus ipſi nequaquam cogitauerint, vel iniuſte detrahat, quae vere dixerint); conſtitui opportunitatis ſcribendi honorificae mihi iam oblatae vſum facere ad meam horum effatorum interpretationem examini publico ſubiiciendam, quo facto, qualis ſit notio illa cognationis Dei atque hominum, quam documentis Hebraeorum antiquiſſimis ineſſe dixerim, paucis demonſtrari poterit. Neque vero ea tantum loca huc referri velim, quae imaginem Dei praedicent, ſecundum quam homines fuerint creati, ſed eorum quoque effatorum rationem habendam cenſeo, quae mentionem faciant halitus ſ. ſpiritus diuini in homine verſantis.

Vtriusque generis effata deinceps perſequi liceat.

Sectio I.

De iis Geneſeos effatis, quae imaginem Dei commemorant, ſecundum quam homines creati ſunt.

Poſtquam auctor primi Geneſeos documenti c. 1. ad verſum vsque 25. ordinem certum ſequutus creationem coeli, corporum coeleſtium, terrae, aquae, plantarum omnium et animantium in terra et aquis verſantium expoſuerat, v. 26. 27. ad enarrandam creationem hominis ita progreditur, vt hoc potiſſimum iterum iterumque vrgeat, homines ad imaginem numinis ſummi eſſe formatos.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ
וְיִרְדּוּ בִּדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּבַבְּהֵמָה וּבְכָל־הָאָרֶץ
וּבְכָל־הָרֶמֶשׂ הָרֹמֵשׂ עַל־הָאָרֶץ

Ipſum ſermonis genus, quod Deo loquenti tribuitur, haud obſcure innuit, ſcriptorem iam in eo eſſe, vt de origine illius naturae nos edoceat, cuius dignitas ſumma in eo verſetur, quod Deo appareat ſimilis. Ita enim Deum loquentem exhibet: *creabimus homines.* Quodſi interpretes audimus haud paucos, qui verba ſcripturae ſacrae placitis eccleſiae ac-

commodare maluerunt, quam ex iis illuſtrare, quae leges interpretationis philologicae et hiſtoricae ſuppeditant, veſtigia notionis trium perſonarum, quae in Deo ſunt eiusdem naturae participes, Plurali נַעֲשֶׂה ineſſe exiſtimanda ſunt. Quum vero neque vnus librorum ſacrorum V. T. locus argumento probet idoneo, ſcriptoribus illis eiusmodi perſuaſionem innotuiſſe, neque omnino probabile videatur, inter Hebraeos, qui diuerſis temporibus ad Polytheismum pronos ſeſe gererent ac procliues, doctrinam de trinitate, qualem eccleſia Chriſtiana exhibeat, recte intelligi, et ita tradi potuiſſe, vt nullam vim noxiam exſereret ad cultum vnius veri Dei labefactandum [1]); recte, opinor, coeperunt noſtri aeui interpretes cum de indole ipſius vocabuli אֱלֹהִים, tum de cauſa numeri pluralis, quo Deus in libro Geneſeos ſubinde vtitur, vbi de ſuis conſiliis, decretis, operibus loquitur, aliter iudicare. Facilius concederem, eiusmodi effatis ex vſu *Pluralis*

1) cfr. b. Döderlein *chriſtlicher Religionsunterricht nach den Bedürfniſſen unſerer Zeit, nach dem lateiniſchen des Verfaſſers ausgearbeitet von D. Junge, ſechſter Theil* (Nürnberg und Altdorf 1796.) S. 132 ſqq. Hufnagel, *Handbuch der bibliſchen Theologie, erſter Theil* (Erlangen 1785.) S. 360 ſqq. Ammon *bibliſche Theologie, erſter Band* (zweyte Ausgabe, Erlangen 1801.) S. 160. ſqq. Nolui fuſius repetere, quae ab his aliisque Theologis pluribus contra tentamina antiquiorum Theologorum, ex eiusmodi effatis comprobandi, ſcriptores V. T. trinitatis mentionem feciſſe, diſputata ſunt.

eminentiae s. *majestatis* (cuius exempla in codice sacro nequaquam desiderantur cfr. Genes. 24, 9. Jobi 18, 2 sqq. Esrae 4, 18.) lucem adfundendam esse, nisi partim locus similis Genes. 3, 22. aliam sententiam amplecti nos iuberet, partim consuetudo illa, pronomina et verba primae personae pluralia pro singularibus maiestatis exprimendae causa vsurpandi aeui fuisset serioris, ab illis temporibus, quibus origo Geneseos recte vindicatur, aliena [2]). Similis fuit eorum interpretum sententia, qui *Pluralem deliberatiuum* inesse censuerunt, qualem subinde homines adhibeant, vbi de negotiis, quae suscipiant, grauitate praecipua conspicuis loquantur (cfr. Dathe ad h. l.).

---

2) cfr. b. Storrii observationes ad analogiam et syntaxin hebraicam pertinenes (Tubingae 1805.) p. 97. Quanquam Ill. Vater (in l. *Commentar über den Pentateuch, erster Theil, Halle* 1802. S. 12.) loco Geneseos c. 29. v. 27. exemplum deprehendi existimat simillimum verbi primae personae pluralis pro singulari positi (vbi Laban cum Iacobo de Rachele filia ipsi sub conditionibus certis concedenda ita loquitur: וְנִתְּנָה לְךָ גַּם־אֶת־זֹאת etc.) vereor tamen, vt locus laudatus hic, de quo sermo est, loquendi vsui temporibus illis vinicando satis commode inseruiat, quum Pluralis ille וְנִתְּנָה haud inepte inde possit explicari, quod Laban, quum diceret: hanc alteram quoque filiam tibi *concedemus*, non tantum de semet ipso, sed etiam vel de ceteris ad familiam sum pertinentibus, vel de ciuibus suis cogitauerit (inprimis quum v. 26. dixisset: non solet ita fieri in ciuitate *nostra*, vt filia natu minor prius, quam maior, in matrimonium detur).

Obstat, quod haec interpretandi ratio ad locum 3, 22. explicandum parum sufficit. Neque cum nonnullis interpretum Iudaicorum dixerim, Deum h. l. induci ad angelos loquutum (cfr. Geneſis ex translatione *Clerici* cum eiusdem paraphrasi perpetua commentario philol. dissertationibus criticis etc. Amstelod. 1710. p. 13.). Patet quippe, si quis priorem Geneseos partem (inde a capite primo vsque ad c. 16. vbi v. 7. 9. prima vice nuntius Iehouae apparet coelestis) absque opinione praeconcepta perlustrauerit, in illis Hebraeorum documentis antiquissimis *angelorum* s. geniorum coelestium, qui proprie ita appellentur (מַלְאָכִים יְהוָה) mentionem fieri nullam. Immo distinguenda est doctrina de angelis, cuius vestigia ac testimonia luculentissima in scriptis V. T. inde a c. 16. Geneseos vbiuis obueniunt, ab illa antiquiore Hebraeorum de אֱלֹהִים praeter Deum summum (terrae ac coeli conditorem, κατ' ἐξοχην אֱלֹהִים dici solitum) existentibus persuasione, vnde notio angelorum, quales Hebraei coluerunt, moderante Deo originem duxit. Etsi enim certum est, Hebraeos ea quidem aetate, cui illam debeamus antiquissimam originis mundi historiam, vnum Deum *summum* adorasse, auctorem rerum omnium; aeque tamen e locis elucescit pluribus, in priori Geneseos parte obuiis, Hebraeos veteres vocabulum אלהים haud raro ita adhibuisse, vt non tantum de numine summo (creatore) vsurparent, sed etiam alias naturas coelestes, similes quidem numini summo, sapientes, immortales, dignitate vero ac poten-

tia illi multum cedentes, quibuscum Deus creator ſubinde conſilia ineat, eadem formula complecterentur[3]). Qua de re haec effata conferenda ſunt: Geneſ 3, 22. vbi Iehoua, poſtquam homines fructibus vſi fuerant arboris cognitionis boni atque mali (i. e. ſapientiae)[4]), hominibus interdictae, ita loquitur: הֵן הָאָדָם הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ: en, Adam ſimilis factus eſt *ſingulis noſtrûm*[5]). Geneſ. 6, 2. (Quem-

3) Nouimus omnino latius patuiſſe vocem אֱלֹהִים, quum ad numina quoque gentium ethnicarum (Geneſ. 31, 53. Ex. 12, 12. 18, 11. 22, 20.) legatos Dei Iehouae et vicarios (Ex. 7, 1.) principes terreſtres atque magiſtratus (Ex. 4, 16. 21, 6. 22, 8. 9.) transferretur.

4) Sub arbore הַדַּעַת טוֹב וָרָע (quae Geneſ. 2, 7. in horto Eden a Deo plantata dicitur) ſenſu verborum plane proprio, quem interpreti horum Geneſeos documentorum diligentia praecipua ſeruandum exiſtimo, eiusmodi arbor intelligitur, quae hominibus opportunitatem praebere potuerit, ſi de fructibus eius (interdictis) ſumſerint, diſcrimen cognoſcendi, quod malum inter atque bonum (factum inhoneſtum inter atque honeſtum) intercedat. Eadem phraſis: *bonum et malum cognoſcere*, Deuteron. 1, 39. Ieſ. 7, 15. ad eam aetatem ſignificandam adhibetur, qua homo experiundo cognoſcere incipiat, alia facta eſſe licita, alia illicita. Neque vero probari poteſt, quod nonnulli ſtatuerunt, eidem formulae vniuerſam inhaerere notionem ſapientiae ſiue prudentiae.

5) Satis aperte monſtrat illud אַחַד מִמֶּנּוּ, admitti non poſſe eorum interpretum ſententiam, qui Deum eiusmodi locis nonniſi de *ſemet ipſo* ita loquutum exiſtiment, vt numero plurali vteretur.

admodum nemo dubitat, vocabulum אָדָם in formula l. l. obuia בְּנוֹת הָאָדָם ſenſu, vt aiunt Grammatici, collectiuo recte intelligi, quia, quod illi opponitur, אֱלֹהִים praeſtat h. l. de pluribus, quam de vno tantum ſubiecto interpretari!) Geneſ. 11, 7. (Verba deguntur Iehouae: *agedum deſcendamus, eorumque linguam confundamus*). Eiusdem conſuetudinis Hebraeorum veterum a Deo ſummo creatore (qui κατ' ἐξοχην אֱלֹהִים appellatur) alios Elohim diſtinguendi teſtimonio inſeruit ſatis luculento phraſis יְהוָה אֱלֹהִים (Geneſ. c. 2. c. 3. Ex. c. 5.) quae ita ad Deum transfertur, vt vocabulum, quod per ſe latius pateat, אֱלֹהִים addito יְהוָה terminis anguſtioribus circumſcribatur, atque his vocibus coniungendis *Dei tutelaris Hebraeorum, aliis omnibus naturis, quae* אֱלֹהִים *vocantur, ſuperioris* notio exprimatur[6]). Neque negligenda ſunt duo Geneſeos effata c. 20. v. 13. c. 35. v. 7. vbi אֱלֹהִים verbo plurali iungitur. Etſi enim largiar, numerum pluralem vtroque loco non magis eſſe premendum, quam[7])

6) Quo iure formulam יְהוָה אֱלֹהִים hoc ſenſu interpretandam cenſeamus, effatum docet Ex. c. 5. v. 1. כֹּה־אָמַר יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל. De vera poteſtate ipſius vocabuli יְהוָה (Deum tutelarem Hebraeorum ſignificantis, fidum et conſtantem in ſeruandis iis, quae promiſit) loca exſtant claſſica Ex. 3, 13. 14. 6, 1. 2. 3.

7) Loco 2 Samuel. 7, 23. vocab. אֱלֹהִים de vno tantum Deo ſummo (Iehoua) recte intelligi, etſi verbum plurale antecedat הָלַךְ, colligimus e loco parallelo 1 Chronicc.

2 Samuel. 7, 25. nisi forte[8]) et Deum Iehouam et ipsius angelos intelligi conieceris (quum vterque locus ad posteriorem Geneseos partem pertineat, non amplius ceteros Elohim a Deo summo creatore distinguentem, sed nuntios potius Iehouae commemorantem); haud inepte tamen adfirmare mihi videor, effatis laudatis illius antiquioris Hebraeorum consuetudinis reliquias inesse admodum perspicuas. Cete-

17, 21. easdem preces exhibente, vbi אֱלֹהִים verbo singulari jungitur.

8) cfr. *Vater: Commentar über den Pentateuch, erster Theil*, p. 282. Vt loco Genes. 35, 7. vocem אֱלֹהִים ad angelos potissimum referamus, nuntios Iehouae, suadet praesertim locus Genes. 28, 12. id quod verissime monuit V. *Paulus* in ephemeridibus: Heidelberger Jahrbücher der Litteratur 7. Jahrgang, 4. Heft, April, 1814. cui fasciculo insertae leguntur observationes doctissimae ad hanc ipsam commentationem meam et sequentem pertinentes. Coniecit ibidem de altero loco supra laud. Genes. 20, 13. sub אֱלֹהִים h. l. Deos paganorum fictitios intelligi, quos parentes Abraami olim (Iosuae 24, 2.) coluissent, et verba Abraami hoc sensu pronuntiata esse: postquam Dii illi me (qui nollem idola venerari, sed Iehouae toto animo addictus essem) patria discedere insserant (per sacerdotes.) Quum vero de Abraamo per illos Paganorum Deos (eorumue sacerdotes) patria depulso nihil in codice sacro obueniat, neque probabile sit, Abraamum, vni Deo vero colendo addictum, Diis Gentilium falsis eiusmodi vim et efficaciam vindicasse, non possum huic sententiae accedere, immo locum Genes. 20, 13. omnino cum Genes. 12, 1. comparandum existimo, vbi Iehoua dicitur Abraamo mandasse, vt patriam relinqueret.

rum, quales Hebraei naturas illas, vna cum Deo ſummo creatore communi nomine אֱלֹהִים olim comprehendi ſolitas, eſſe iudicauerint, patet quodammodo ex iis, quae Geneſeos 2, 17. 3, 22. leguntur[9]). Quo maiori autem fir-

---

9) Verba Dei Iehouae (Geneſ. 3, 22.): *Adam ſimilis factus eſt ſingulis noſtrûm, bonum et malum cognoſcendo*, et Deo ſummo et ceteris Elohim ſatis aperte aliquam vindicant cognitionem, qua homines creati caruerint, vsque dum ipſi experiundo cognouiſſent, alia facta eſſe bona, alia vituperio digniſſima. Naturam vero horum אֱלֹהִים nulli eſſe morti obnoxiam, ponit, quod Deus Geneſ. c. 3. v. 22. quum homines primi cognitionem illam diſcriminis boni et mali adepti fuiſſent, dono immunitatis a neceſſitate moriendi priuari eos voluit, neque exiſtimari poteſt naturis illis in coelo verſantibus vnquam defuiſſe donum, quo homines ipſi gauderent, priusquam legem Dei violaſſent. Haud obſcure item loca Geneſ. 1, 26. 11, 7. arguunt, Hebraeos veteres de aliquo conſiliorum operumque numinis ſummi conſortio cogitaſſe, quo ceteri אֱלֹהִים ſubinde gauderent. Neque vero Deo Iehouae dignitate et efficacia pares declarati ſunt. Videmus quippe Deum fere vbiuis ſuo tantum nomine decernentem, loquentem, agentem, neque niſi rariſſime ea dicentem, quibus ceteros Elohim in ſocietatem aliquam conſiliorum operumque vocare videatur. Accedit, quod formula (de qua ſupra vidimus, cfr. nota 6.) יְהוָה אֱלֹהִים maiorem Dei ſummi dignitatem aperte innuit, et ipſa ſapientia illa iis conceſſa (vt antea loco Geneſ. 2, 9. praeeunte monuimus) beneficio Dei Iehouae iis contigit. Nequeo omnino iis adſentiri, qui antiquiſſimis illis Hebraeorum monumentis Polytheismum ineſſe cenſeant, atque notionem Dei Iehouae in libro Geneſeos expreſſam ab iis,

mitate Monotheismus inter Hebraeos ſtabilitus eſt, quo auguſtior et purior euaſit Dei Iehouae notio, et quo luculentius intellexerunt, numini ſummo aliam naturam nullam eſſe conferendam, eo maius discrimen Dei Iehouae ac ceterorum Elohim conſtitui coepit, ita vt ſatis mature notio *angelorum ſ. nuntiorum Dei Iehouae* inde prodiret. Eluceſcit facile ex iis, quae modo disputata ſunt, quo iure noſtrum quoque locum Geneſ. 1, 26. ex illo, quem cognouimus, vocabuli אֱלֹהִים vſu priſco illuſtrandum ſentiam. Verba Deo creatori tribuuntur, quae de ſemet ipſo pariter ac de ceteris Elohim pronuntiet: *creabimus homines.* Altius exſurgit oratio, efflagitante ipſius rei grauitate. Alloquitur Iehoua illos, ipſi familiares, ad opus grauiſſimum ſanctiſſimumque ſe conuertens, creationem hominis, futurae Dei Iehouae atque Elohim imaginis. Comparare his omnino iuuat ſcenam ſimilem Iobi c. 2. depingentem angelos coram Deo apparentes, eiusque decreta exſpectantes, in eo tamen a loco Geneſeos haud parum diſcrepantem, quod alia eſt notio illorum Elohim, de quibus noſtro l. agitur, alia filiorum Dei (angelorum) qui apud Iobum obueniunt; (cfr. inſuper Ieſ. 6, 8. Daniel. 4, 14.). Ceterum, quanquam ſententia modo defenſa eadem ma-

---

quae Graeci et Romani de Ioue ſuo dogmatis, vel parum vel nihil differre opinentur.

net, si quis cum nonnullis [10]) elocutioni poëticae tribuendum existimat, quod Deus h. l. ad ceteras naturas in coelo versantes loquens appareat, atque consilia cum iis conferens; nolim tamen equidem coloribus adscribere poëticis, quod ingenio illius saeculi, infantiae Hebraeorum, tam egregie aptum est et accommodatum, vt ipsius scriptoris omninoque illius aeui persuasioni multo potius tribuendum videatur [11]). Substantiuum, quod sequitur, אָדָם h. l. non posse *de vno tantum homine* intelligi atque pro nomine primi omnium virorum proprio accipi (quo sensu inde a cap. 2. plerumque vsurpatur) verbum docet plurale יִרְדּוּ (cfr. Genes. 5, 1. sqq. 6, 1.). Vtrum vero scriptor, quum Deum ita loquentem exhiberet, docere voluerit, plures et viros et foeminas, volente Deo creatore, in diuersis

---

10) cfr. *Döderlein christlicher Religionsunterricht nach dem latein. des Verf. ausgearbeitet von D. Junge, 6ter Theil,* S. 133.

11) Praeiuerunt interpretationem, quam defendendam et vberius illustrandam censui Vogel (in I. Hugonis Grotii annotationis in V. T. emendatius edidit et auxit Vogel, T. I. Halae 1775. p. 3.) B. Herder (*vom Geist der hebräischen Poesie, erster Theil in s. sämmtlichen Werken zur Religion und Theologie, erstem Th.* S. 58. sq. *Ideen zur Geschichte der Menschheit zweiter Theil in s. sämmtlichen Werken, zur Philosophie und Geschichte, viertem Th.* S. 312. sqq.) Vener. Gabler, Collega coniunctissimus (*Eichhorns Urgeschichte herausgegeben von D. Gabler, erster Theil,* S. 218. sqq.)

orbis terrarum partibus eodem tempore prodiisse? an de duobus tantum hominibus, viro ac foemina, a Deo creatis cogitauerit? neque vs. 26. neque sequentibus accuratius constituit [12]). His paucis, quibus numen summum decretum de hominibus creandis rite enuntiauerat, verba adnectuntur, quae futuram hominum dignitatem eloquantur בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ. Ac prius quidem צֶלֶם de *imagine* dici solet (neque vero de forma tantum, quae speciem externam vel naturae cuiusdam viuae, vel rei vita carentis exprimit, 1 Samuel. 6, 5. 11.

12) cfr. quae hac de re egregie monuit V. Gabler: *Eichhorns Urgeschichte herausgegeben von Gabler, zweiten Theils zweiter Band*, S. 38. sqq. qui verissime intellexit, illius quoque documenti, quod Geneseos c. 1. contineatur, auctorem pariter atque auctorem c. 2. de *duobus* tantum *hominibus* a Deo creatis, vnde ceteri omnes originem duxerint, cogitasse videri, quum partim v. 27. verba addiderit (prorsus omissa in iis, quae de creatione animalium antea fuerint exposita) זָכָר וּנְקֵבָה, partim formula in commatibus praegressis frequenter obuia לְמִינֵהֶם nostro I. desideretur, quam scriptor haud dubie addidisset, si de multis hominibus generis diuersissimi eodem tempore a Deo creatis cogitauisset. Addere liceat, priora capitis 5. commata suadere, vt hanc persuasionem teneamus. Ponunt quippe verba v. 4. et 5. auctorem documenti, quod Genes. c. 5. v. 1. 28. legitur, de creatione hominum ita statuisse, vt vnum tantum virum vnamque foeminam prodiisse iudicaret. Quo iure autem huius documenti auctorem eundem fuisse putemus, cui illud capite primo comprehensum originem debeat, ex vsu patet vocabuli אֱלֹהִים aliisque formulis in vtroque obuiis.

2 Regg. 11, 18. Pſ. 39, 7. Amoſi 5, 26. Ezech. 23, 14. ſed etiam de forma, quae exprimitur Geneſ. 5, 3.); poſterius דְּמוּת partim eandem *imaginis* notionem iunuit (2 Chronicc. 4, 3. Ieſ. 40, 18. Ezech. 1, 5. 26. 28. al.) partim *ſimilitudinem*, praecipue *externam* (Ieſ. 13, 4. Pſ. 58, 5.) Praefixum vero בְּ (בְּצַלְמֵנוּ) minus accurate vertitur (vt vulgo fieri ſolet): ſecundum noſtram imaginem, quam, vſu loquendi ſuadente (Numerr. 20, 20. Ieſ. 7, 24. Pſ. 51, 7. cfr. b. Storrii obſeruationes ad analogiam et ſyntaxin hebraicam pertinentes p. 452. ſq): *cum noſtra imagine* (i. e creabimus homines, qui gaudeant forma naturam ſ. ſpeciem noſtram exprimente). Neque otioſum dixerim, atque pleonaſmo mero tribuendum, quod additur בִּדְמוּתֵנוּ. Plerique huius loci interpretes voces דְּמוּת atque צֶלֶם ſynonymas exiſtimant, eo tantum inter ſe diſcrepantes, quod דְּמוּת ad ſermonem proprium, צֶלֶם ad tropicum pertineat, ita iunctas, vt vel ſuperlatiuum exprimant: ad imaginem nobis *ſimillimam* (*ganz nach unſerem Bilde*), vel alterum alteri inſeruiat explicando. Malim equidem, quum vtrumque praefixa habet diuerſa (בְּ et כְּ), aliquam ipſius ſignificationis diuerſitatem, h. l. ab interprete tenendam, agnoſcere. Poſterius quippe דְּמוּת praeſtantiam illius imaginis (צֶלֶם) accuratius definit. in eo conſpicuam, quod haec imago hominibus conceſſa re vera accommodata fuerit rei exprimendae (quum minime quaeuis imago re vera exhibeat, quod illius ope exprimi debuerit), ſiue (vt probe monuit Ill. Roſenmüller in ſcholiis in V. T. P. I. p. 39.)

qualitatem significat, quae ex illa imagine (צֶלֶם) consequuta sit, vt homo plane fieret archetypo suo similis.[13]). Vertamus igitur: *creabimus homines, imagine nostra gaudentes, qua nobis similes appareant.* Argutius enim, quam verius haud pauci veterum ecclesiae doctorum *imaginem Dei* (צֶלֶם) a *similitudine Dei* (דְּמוּת) gradu differre censuerunt, illam quidem de dotibus eximiis *cuiuis* homini *natura* concessis, dignitatem praecipuam naturae humanae vindicantibus, hanc vero de ea animi perfectione, quam homo Deum imitando sensim sensimque sibi comparet, interpretati. (Cfrr. Clemens Alexandr. stromatum l. 2. p. 499. cohort. ad gentes p. 94. paedag. l. I. c. 12. p. 156. edit. Potteri, Oxoniae 1715. Origenes contra Celsum l. 4. p. 522. sq. de principiis l. 3. c. 6. p.

13) Aliam quidem formulae explicationem V. Paulus commendauit in ephemeridibus Heidelbergensibus supra nota 8. laudatis. Existimat enim praefixum ב h. l. praepositioni בְּ respondere atque notionem similitudinis formae externae in solo Substantiuo sequente דְּמוּת quaerendam esse: wir wollen den Menschen schaffen zu unserem Bilde, nach Aehnlichkeit mit uns, d. h. so dass er uns auf der Erde vorstelle, indem er auch unsere Gestalt hat, und dalier herrsche. Videor mihi praecipuum eius, quam proposui, interpretationis argumentum in vsu vulgari et frequenter obuio praefixi ב deprehendisse. Cfr. quae supra disputata sunt. Ceterum in ordine atque discrimine vocabulorum צֶלֶם ac דְּמוּת non esse nimis argutandum, locus docet Genes. 5, 3. vbi pro nostris: בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ ordine inuerso exstat: בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ.

152. edit. de la Rue T. I.). Vt taceam, defenſores huius ſententiae arbitrariam ſequi ipſius vocabuli צֶלֶם explicationem (quod infra demonſtrabimus), obſtat iis, quod liber Geneſeos nulla omnino eiusmodi discriminis veſtigia ſuppeditat, immo verſus 27. c. 1. (vbi pro vocibus דְּמוּת et צֶלֶם v. 26. obuiis vna צֶלֶם adhibetur) et verſus 1. c. 5 (vbi ſolius דְּמוּת mentio facta eſt) facile docet, ſcriptorem hac de re nequaquam cogitaſſe. (An forte LXX. interpretes de ea cogitauerint, quum verba v. 26. c. 1. verterent: ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν? alia eſt quaeſtio, neque ita comparata, vt noſtram huius effati interpretationem regere poſſit). Quanta vero auctoritate atque dignitate homines, volente Deo creatore, reliquis naturis omnibus in terra verſantibus praeſtituri ſint, verba Dei ſequentia declarant: וְיִרְדּוּ etc. Vix eſt, quod moneam, verbum רָדָה a ſignificatione phyſica et propria *pedibus calcandi* (Pſ. 49, 15. Ieſ. 14, 6.) ad notionem *ſubiugandi*, *imperandi*, *dominandi* eſſe translatum (Leuit. 26, 17. Pſ. 68, 28. al.). Subſtantiuum בְּהֵמָה (animalia), quod modo latius patet, modo terminis auguſtioribus circumſcribendum eſt (praeeunte orationis ſerie), quonam ſenſu h. l. intelligi debeat, pendet a lectione eorum, quae ſequuntur, recte conſtituenda. Etenim, quod vulgo legitur: וּבְכָל — הָאָרֶץ: *atque in totam terram* (dominentur), habet omnino, quo iure meritoque offendamur, totamque perturbat orationis ſeriem, quum ſponte pateat, terram ipſam parum commode inter ſpecies diuerſas incola-

rum terrae commemorari potuisse. Dicemusne hoc tribuendum esse negligentiae sermonis, qui in his documentis antiquissimis obtineat? Obstat, opinor, quod totius capitis primi, eiusque commatum singulorum indoles et oeconomia scriptorem arguit, qui, etsi nequaquam e scholis rhetorum prodierit, plerumque tamen ordinis cuiusdam ac parallelismi in enumerandis singulis, sensu natiuo ducente, studiosum sese gesserit. Neque difficultatem illam commode expediunt, qui וּבְכָל־הָאָרֶץ breuiter dici existiment pro וּבְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ (cuius ellipseos exempla desidero.). Nihil restat, nisi, vt lectionem antiquitus deprauatam esse censeamus, ideoque vel, editione Venet. (1566.) praeeunte, praefixum ו in voce וּבְכָל delendum (quo facto verba בְּכָל־הָאָרֶץ praecedenti וּבְהֵמָה hoc sensu iungenda esse pateat: *atque in animalia maiora, quae in tota tellure versantur*) vel auctoritate versionis Syr. locum sic emendandum[14]): וּבְכָל חַיַּת הָאָרֶץ: *atque in omnia, quae in terra sunt, agrestia.* Cuius emendationis probabilitatem mirum quantum adstruit, quod v 24. et 25. similiter voces חַיַּת הָאָרֶץ, רֶמֶשׂ, בְּהֵמָה iunctae apparent. Quodsi ita legitur: וּבְכָל חַיַּת הָאָרֶץ, in promtu est, *animalia agrestia*, s. *feras* (חַיַּת הָאָרֶץ) opponi *animalibus mansuetis* (בְּהֵמוֹת). Cfr. supra v 24. 25. Genes. 3, 14. 7, 21. Leuit. 25, 7. Ps. 50, 10.).

---

14) cfr. *Clericus* in comment. ad Genesin supra laud. p. 14. V. Ilgen: *die Urkunden des ersten Buchs von Moses in ihrer Urgestalt, Halle* 1798. S. 8.

Sin malueris vel in vulgari lectione acquieſcere, vel ſcribere: בְּכָל הָאָרֶץ, praeſtat haud dubie ſubſtantiuo קְהָמָה h. l. ambitum maiorem vindicare, quo *animalia, quae in terra incedunt*, i. e. *maiora* (quae opponuntur animantibus repentibus, paruis רֶמֶשׂ cfr. Geneſ. 6, 7. 20. 1 Regg 4, 33.) *omnia*, feras pariter ac manſueta, complectatur (Leuit. 11, 2. Pſ. 73, 22.) Ceterum dubio caret, notionem illius imperii, quod homines in animalia genere diuerſiſſima exercituri ſint, ad libertatem referendam eſſe hominibus conceſſam, animalibus pro arbitrio vtendi eademque coercendi. cfr. Geneſ. 9, 2. 3. ep. Iacobi 3, 7. Verſio totius commatis haec eſt: *Porro Deus ita loquutus eſt: creabimus homines imagine noſtra gaudentes, qua nobis ſimiles appareant, qui in piſces marinos, aues ſub coelis volantes, animalia manſueta, omnia, quae in terra ſunt, agreſtia, et, quaecunque ſuper terra repunt, reptilia dominentur.* Sequuntur verba ſcriptoris, quae Deum huic conſilio ſatisfeciſſe docent v. 27.

וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ
בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ
זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם

Notio imaginis diuinae hominibus conceſſae mentem ſcriptoris totam ita tenet atque occupat, vt non ſine vi quadam et grauitate repetat, Deum, prouti (v. 26.) decreuiſſet, homines ſecundum imaginem ſuam atque ceterorum אֱלֹהִים creauiſſe. Ex iis enim, quae

de cauſa verbi pluralis v. 26. נַעֲשֶׂה אָדָם atque de vſu vocabuli אֱלֹהִים ſupra disputata ſunt, haud inepte mihi colligere videor, vocem אֹתָם in membro ſecundo v. 27. obuiam (בְּצַלְמֵם אֹתָם etc.) minime vnius tantum Dei ſummi creatoris notionem inuoluere, ſed etiam ceteros אֱלֹהִים complecti, atque hinc potiſſimum cauſam eſſe intelligendam [15]), quare ſcriptor vocabulum אֹתָם (quod in membro ſecundo abeſſe potuiſſet, ſi ſolum numen ſummum κατ' ἐξοχην אֱלֹהִים appellari ſolitum innueret) repetendum iudicauerit. Adduntur ſub finem nonnulla, quae ad diſcrimen vtriusque ſexus a Deo tempore ipſius hominum creationis conſtitutum pertineant, ita tamen, vt ex verbis per ſe ſpectatis accuratius cognoſci nequeat, vtrum ſcriptor vnum virum vnamque foeminam, an plures et viros et foeminas verbis: זָכָר et נְקֵבָה complecti voluerit. Sed hac de re iam ſupra nota 11. 12. disputauimus. *Creauit igitur Deus homines ipſius imagine gaudentes; imagine Dei* (creatoris atque Elohim) *gaudentes eos creauit; creauit eos marem atque foeminam.* Eiusdem imaginis diuinae mentionem obiter iniicit aliud Geneſeos effatum ex iis documentis depromtum, quae nomine

15) Maluerunt alii interpretes ad illam Hebraeorum conſuetudinem reſpicere loco pronominis haud raro nomen ipſum iterandi. cfr. B. Storrii obſeruationes ad analogiam et ſyntaxin hebr. pertinentes p. 106.

אֱלֹהִים de Deo vſurpari ſolito ab aliis differunt c. 5. v. 1.

זֶה סֵפֶר תּוֹלְדֹת אָדָם בְּיוֹם בְּרֹא אֱלֹהִים אָדָם
בִּדְמוּת אֱלֹהִים עָשָׂה אֹתוֹ

Praemittitur quinto capiti inſcriptio, quae argumentum huius capitis, tabulam atque hiſtoriam breuiſſimam poſterorum Adami ad Noachum vsque continentis, paucis declarat. תּוֹלְדֹת neminem fugit cum de poſteritate, proſapia, gente dici (Geneſ. 10, 32. 25, 13.) tum de hiſtoria proſapiae ſ. gentis (Geneſ. 6, 9. 37, 2.) atque סֵפֶר non tantum libros ſ. volumina proprie ita dicta innuere, ſed etiam ad ſcripta ſ. documenta breuiora varii generis transferri (Ierem. 32, 11. ſqq. Nehem. 7, 5.). Notio primaria euadit eadem, ſiue interpreteris: haec eſt tabula poſterorum Adami, ſiue: haec eſt tabula, quae hiſtoriam poſterorum Adami perſequitur. Hanc vero enarrationem (v. 3. incipientem) documento illi, quod Geneſeos capite 1. vsque ad v. 3. c. 2. comprehendatur, eſſe coniunctiſſimam, inde patet, quod ſcriptor, poſterorum Adami tabulam exhibiturus, ad creationem hominum primorum reuertitur, iisdemque verbis atque formulis, quae cap. 1. obueniunt, teſtatur, homines a Deo ita creatos eſſe, vt eius imaginem referrent. De vocibus ſingulis huius commatis valent, quae ad locum Geneſ. 1, 26. 27. ſupra monuimus. Etenim אָדָם iterum non poſſe de vno tantum homine intelligi docent, quae

v. 2. legimus: זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָאָם etc. Nomen אֱלֹהִים in membro posteriore (בִּדְמוּת אֱלֹהִים etc.) pariter ac v. 27. c. 1. latius patet, et de numine summo creatore et de ceteris אֱלֹהִים intelligendum. Vtrum vero דְּמוּת h. l. imaginem significet: creauit Deus homines imagine Elohim gaudentes) an similitudinem: (creauit D. homines ita, vt similes essent suis Elohim) non ausim certius constituere. *Haec est tabula posterorum Adami. Quo die Deus homines creauit, ita eos creauit, vt imaginem Dei* (creatoris atque Elohim) *referrent*, s. *vt Deo* (creatori atque ceteris Elohim) *essent similes.*

Tertium Geneseos effatum, quod imaginem Dei hominibus concessam praedicat, (pariter atque effata superiora in iis documentis obuium, quae Deum אֱלֹהִים appellant) legitur c. 9. v. 6. vbi mandatum Dei de homicidio seuere puniendo his verbis exhibetur:

שֹׁפֵךְ דַּם הָאָדָם בְּאָדָם דָּמוֹ יִשָּׁפֵךְ
כִּי בְצֶלֶם אֱלֹהִים עָשָׂה אֶת־הָאָדָם

Quanquam orationis series iis haud repugnat, qui forte participium שֹׁפֵךְ h. l. ad animantes omnino omnes (כָּל־חַיָּה v. 5.), et homines et bestias, referri posse existiment (cfr. Ex. 21, 28. 29. 1 Sam. 15, 3.) malim tamen de *hominibus solis* interpretari, quum membrum posterius v. 5. doceat, Deum de *mutuis* potissimum *hominum caedibus* prohibendis cogitasse. In duas partes abierunt interpretes in expli-

cando vocabulo בָּאָדָם, aliis quippe vertentibus: *inter homines* [16]) (cfr. בָּאָדָם Eccleſ. 8, 9. Ex. 13, 2. בְּנֵי־אָדָם Canticum D, 8. infra huius capitis v. 10. בְּעַד בְּהֵמָה) aliis: *per hominem* (i. e. manibus humanis). Praeplacet poſterius. Illud enim: *inter homines* qua de cauſa h. l. fuerit additum? haud facile dixeris. Hoc vero: *per hominem*, egregie apparet ſuo loco poſitum, quum iis, quae Deus v. 5. enuntiauerat, explicandis inſeruiat. Etenim quod Deus v. 5. nuntiauerat, fore, vt, homine interfecto, eius ſanguinis poenam ab eo repeteret, qui huius caedis auctor exſtitiſſet, iam accuratius iis definitur, quae Deus v. 6. addit, fore vt ſanguis eius, qui hominem interfecerit, minime per Deum ipſum, ſed *per hominem*, loco Dei poenam illam exerciturum, effundatur [17]). Verbis autem ſequentibus cauſa declaratur grauiſſima, quare homicidium ſupplicio puniendum ſit, ex illa hominis dignitate depromta, quae imagine diuina homini conceſſa continetur. Quum homo ita fuerit creatus, vt imaginem numinis ſummi referret, omnino crimen laeſae maieſtatis diuinae committit, atque ſupplicio ſe reddit obnoxium, qui homi-

---

16) cfr. *Clericus* in comment. ad h. l. p. 79.

17) Neque cum Clerico l. l. dixerim, notionem ſanguinis homicidae *per hominem* effundendi ex vſu loquendi hebraico verbis: בְּיַד אָדָם potius, quam formula breui: בְּאָדָם exprimi debuiſſe. Sufficiat locum Pſ. 60, 14. laudaſſe: בֵּאלֹהִים נַעֲשֶׂה־חָיִל.

nem ausus fuerit occidere. Sententia primaria euadit eadem, siue phrasin בְּצֶלֶם אֱלֹהִים h. l. ad formam potissimum externam, qua homo Deo appareat similis, siue eam praecipue ad imperium, quod homo loco Dei in toto terrarum orbe exerceat, spectare dixerimus. [18]). Attollimur omnino ad notionem dignitatis eximiae in eo ipso conspicuae, quod homo ad imaginem Dei sit creatus; quae quidem dignitas tanta sit, vt vita hominis veluti sacrosancta haberi debeat, ab alio homine nunquam violanda. Neque in eo haerebimus, quod Deus (cuius oratio v. 6. profertur) tertia persona vsus fuerit: עָשָׂה: siquidem cum imagine Elohim creauit (Deus) hominem. Quum auctor huius documenti, sermonem Dei ita, vt fieri debuisset, continuaturus: (siquidem hominem cum imagine mea ac ceterorum Elohim creaui) vtriusque effati sollennis Genes. 1, 27. בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ et 5, 1. עָשָׂה אֹתוֹ בִּדְמוּת אֱלֹהִים recordatus fuisset, confestim (quae quidem est simplicitas sermonis prisci) Deum ipsum exhibuit ad haec effata veluti prouocantem. *Quicunque sanguinem hominis effuderit, eiusdem sanguis per hominem effundetur, siquidem Deus hominem ita creauit, vt imagine Elohim gauderet.*

Singula Geneseos effata, quae imaginis diuinae hominibus concessae mentionem faciant,

---

18) cfr. ILGEN: *die Urkunden des ersten Buchs von Moses in ihrer Urgestalt* p. 53.

prius illustranda putaui, quam ipsa huius formulae dignitatem haud exiguam homini vindicantis notio accuratius posset indagari. Quo maior est illorum locorum breuitas, sensum ambitumque phraseos, qua Deus homines cum imagine Elohim creasse dicitur, nequaquam definiens, eo plura videmus interpretis iudicio relicta. Qua quidem iudicandi libertate Theologi ita vsi sunt, vt haud raro pro arbitrio ac lubitu ambitum huius formulae nunc latius patere vellent, nunc terminis angustioribus circumscriberent, saepissime suis potius placitis loca laudata accommodantes, quam sedulo inuestigantes, qualem notionem et verba ipsa suppeditent, et ingenium illius saeculi, aliarumque notionum et sententiarum, quae in libro Geneseos expressae fuerint, indoles teneri iubeat[19]). Neque omnes probe perpenderunt, an forte alia sit quaestio de sensu, quo imago Dei in illis Geneseos documentis antiquissimis commemorata fuerit, alia de notione, quam aetas cultior, luce religionis Christianae vberiori collustrata, huic formulae substituat. Accedit, quod plerique posuerunt, ad imaginem Dei hominibus concessam refe-

---

19) Si quis sententias Theologorum diuersissimas hac de re prolatas accuratius voluerit cognoscere, adeat Io. Gerhardi locorum theologicorum Tomum quartum ed. Cotta (Tubingae, 1765.) p. 242 sqq. Ill. Beckii commentarios historicos decretorum religionis Christianae (Lipsi. 1801.) p. 360. sq. Münscheri: *Handbuch der christlichen Dogmengeschichte, zweiter Band*, S. 118 sqq.

renda esse, quaecunque de statu hominum primaeuo ex volumine Geneseos innotuerint, quum ante omnia quaeri debuisset, quo iure formulam hebraicam per se spectatam plura complecti existimauerint. Ita factum est, vt singuli notiones huius imaginis diuinae ipsis probatas e locis Geneseos huc spectantibus recte eruisse sibi viderentur.

Ac primum quidem neminem fugit, his effatis olim quidem fere vnanimi consensu Theologorum nostrorum eam notionem imaginis diuinae esse vindicatam, quam formula doctrinae ecclesiae nostrae tueatur. Solebat quippe sub illa *imagine diuina*, praeeuntibus libris symbolicis, *praestantia singularis primorum hominum* (cuius vel totius, vel partis praecipuae iacturam peccato primo committendo fecerint) intelligi, eiusque indolem vel ita descripserunt, vt homines primi sensuum illecebris potentissime imperasse, et cognitione Dei vera, Dei amore, viribusque ad virtutem veram consequendam salutemque inde oriundam idoneis gauisi esse dicerentur[20]) vel (quae formulae posthac inualuerunt) *sapientiam* et *iustitiam* (s. *sanctitatem*) *concreatam* complecti iudicarunt.[21]). Quae quidem persuasio num, aut

---

20) cfr. Apologia Confessionis August. artic. 1. p. 52. 53. edit. Rechenberg.

21) cfr. Io. Gerhardi locorum theologicorum T. IV. edit. Cotta p. 245 sqq. Plura contra hos interpretes monuit

quatenus et rationi humanae probetur, quaestionibus philosophicis hunc locum illustranti, et aliis effatis librorum sacrorum (noui potissimum foederis) demonstrari possit? minime huius est loci atque temporis accuratius inquirere, quum totius commentationis nostrae consilium id vnum efflagitet, vt videamus, quonam sensu homines in volumine Geneseos cum imagine diuina creati esse dicantur? Quodsi animum ad ea probe attendimus, quae ex ipsis Geneseos documentis eorumque interpretatione vera prodeunt (sedulo quidem cauentes, ne forte placita et notiones aeui recentioris illius saeculi scriptis obtrudamus, verbis ipsis nequaquam huic conanimi fauentibus), largiamur omnino necesse est, non tantum nihil inesse, quod nos iubeat eiusmodi persuasionem de animi dotibus plane singularibus, quibus homines primi fuerint conspicui, scriptoribus illis vindicare, sed etiam deprehendi, quae interpretem opinionibus nullis praeconceptis obnoxium prohibere debeant, quo minus hos scriptores de eiusmodi praestantia cogitasse, eamque sub imagine Dei hominibus primis concessa intellexisse arbitremur. An forte cum nonnullis illius sapientiae, quam concreatam dicunt, vestigia verbis c. 2. v. 20. inesse putabimus, vbi Adamus singulas animantes nominibus diuersis appellasse dicitur? Verum enimuero neque consilium fuit scripto-

---

Iunge; *philosophische und theologische Aufsätze, erstes Stück* (*Nürnberg* 1779.) S. 229—250.

ris, his enarrandis documentum sapientiae Adami eximiae proferendi (quippe qui docere potius voluit, quomodo in animo Adami, lustrantis diuersas animalium species, desideriuin sociae ipsi natura similis excitatum fuerit), neque video, quo iure cognitionem naturae animalium singularem Adamo propterea vindicare liceat, quod nominibus diuersis illa appellauerit, nisi ante omnia demonstratum fuerit, haec nomina naturae animalium egregie fuisse accommodata. Verba autem v. 24. c. 2. (quibus amor describitur singularis, quem maritus vxori praestiturus sit, hanc potius, quam parentes sequuturus) ex ingenio auctoris huius documenti esse profecta, qui suam obseruationem a verbis Adami non accuratius scribendo distinxerit, iam pridem alii interpretes intellexerunt [22]). Neque hanc persuasionem de sapientia Adami eximia eademque concreata loco c. 3, v. 22. conciliare licet. Etenim quod Deus l. l. pronuntiat, Adamum, quum fructibus vsus fuisset arboris interdictae [23]), ipsi ceterisque Elohim *euasisse* similem, bonum et malum cognoscentem, pariter atque effatum ipsius scriptoris c. 3. v. 7. adfirmantis, oculos Adami eiusque vxoris iam apertos esse, ponit profecto, homines primos, priusquam mandatum diuinum arboris interdictae vsu vio-

22) cfr. V. Gabler: *Eichhorns Urgeschichte, zweyten Theils erster Band*, S. 131. sqq.

23) cfr. quae supra nota 4 monuimus.

lassent, cognitione illa caruisse, quae ad discrimen boni atque mali pertineret.[24]). Artificiosior quippe neque verbis c. 3. v. 5. et v. 7. satis accommodata apparet ea verborum c. 3. v. 22. interpretatio, quam V. Stange (in comment. primorum hominum imago diuina e loco Mos. Gen. 3, 22. definienda, Hammonae 1785.) exhibuit: Adam *fuit* quidem a creatione imagine nostra ornatus, intelligendo bonum et malum, pietatem colendo, turpe fugiendo (iam vero imaginem diuinam amisit). Eandem fere huius effati explicationem V. *Paulo* praeplacuisse video, qui in obseruationibus doctissimis, quas de libello meo in ephemeridibus Heidelbergensibus exhibuit (supra nota 3 laudatis) interpretationem, quam proposueram, verborum Genes. (3, 22.) ea maxime de causa inpugnauit, quod de hominibus *post lapsum* ne recte quidem dici potuerit (nisi sar-

24) Nonne vero indoles et elocutio totius documenti quod c. 2. v. 4. seqq. vsque ad finem c. 3. continetur, alium scriptorem arguit, ab eo diuersum, cui narrationem debemus c. 1. obuiam, quae illam Dei imaginem commemorat? Etsi hoc pluribus interpretum recentiorum largiar (cfrr. Ill. Eichhorn: *Einleitung in das alte Testament*, *zweyter Bd. Leipzig*, 1803, S. 292 sqq. Ilgen: *die Urkunden des ersten Buchs von Moses*, S. 426. sqq. Vater: *Commentar über den Pentateuch*, *erster Theil* S. 14 sqq.) videmus tamen scriptores illos antiquissimos in notionibus placitisque praecipuis ad Deum et homines spectantibus ita consentientes, vt recte coniicere liceat, fere eandem conditionis primorum hominum statusque primaeui notionem eorum animis obuersatam esse.

casmum his ineſſe putauerimus), hominem iam Dei ceterorumque אלהים ſapientiam adeptum eſſe ideoque הָיָה de tempore prorſus elapſo intelligi maluit: en, homo olim nobis plane *fuerat* ſimilis (ſecundum noſtram imaginem creatus), ſuaque ſponte ſenſim ſenſimque *potuerat* ſapientior euadere, ita vt omnino non indigeret fructibus illis interdictis (arboris cognitionis boni atque mali.). His aliisque perpendendis, quae ad effatum noſtrum recte explicandum pertinent, ipſe magis magisque intellexi, verba v. 22. parum recte ad *vniuerſam* referri notionem *ſapientiae*, qua homines lapſi Deo ceterisque Elohim euaſerint pares aut ſimiliores, immo tenendam eſſe propriam eamque anguſtiorem phraſeos: bonum et malum cognoſcere, ſignificationem. (cfr. ſupra nota 4.) Vniuerſa eiusmodi ſapientiae cogitatio profecto plura inuoluit, quam ſolam perſuaſionem, quae hominem docet, alia eſſe honeſta, alia inhoneſta. Nolim tamen cum Stangio et Paulo phraſin הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ de eo hominum ſtatu interpretari, qui *ante* lapſum obtinuerit. Sequamur modo ſeriem orationis. Narratur ſerpens c. 3. v. 5. homines ad mandatum Dei violandum eo ſeduxiſſe, quod iis ſpem faceret, fore, vt, quo die fructus ab arbore illa interdicta ſumſiſſent, bonum a malo diſtinguere inciperent, eorumque (mentis) oculi aperirentur. Audimus ſerpentem, quem ipſe ſcriptor v. 1. animal ceteris omnibus callidius (עָרוּם) appellat, fraudulenter cum hominibus loquentem, tanquam ſi Deus ea de cauſa interdixerit, ne fructu vterentur huius

arboris, vt iis cognitionem aliquam hominibus *desiderabilem* (veluti praerogatiuam solis Elohim seruandam) denegaret. Consilium quidem pessimum serpentis (s. Satanae, quem formam huius animalis induisse, aut serpente tanquam praesidio vsum esse, interpretes plures et Iudaici et Christiani docuerunt) omnino huc spectauit, vt homines primi innocentia, qua hucusque gauisi fuissent, puerili ac beata, discrimen boni et mali prorsus ignorante, priuarentur. Homines vero, dum serpens ita loquebatur, etsi nondum perspicue potuerint intelligere, quid tandem illud esset דַּעַת טוֹב וָרָע, hoc tamen ex sermone eius fraudulento didicerant, cognitionem aliquam promitti desiderabilem, quam Deus ipsis hucusque denegauerit. Proinde (v. 6.) primum quidem mulier, natura inbecillior, quum sibi persuasisset, arborem (interdictam) ad comedendum bonam esse, adspectu suauem, et propter cognitionem (inde) consequendam desiderabilem, de fructibus aliquid ausa est decerpere et comedere; deinde Adamum seduxit, vt idem faceret. Additur v. 7.: tum (fructibus sumtis) oculi eorum sunt aperti, ita vt cognoscerent, se nudos esse. Quae quidem verba satis luculenter docent, sensum pudoris, qui partes quasdam corporis obtegi iuberet, nunc demum (discrimine sexus agnito) in hominibus primis excitatum esse, egressis statu pristino innocentiae vere puerilis. Videmus scriptorem nostrum pristinam illam hominum conditionem duobus potissimum signis describentem, altero, quod discrimen boni et mali plane

ignorauerint (nondum in vetitum nitentes), altero, quod pudorem nondum senserint, adspectu nuditatis suae excitatum, neque discrimen vtriusque sexus perspicue cognouerint. Haec ipsa vero narrationis series ostendit, verba Dei v. 22. הֵן הָאָדָם הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ לָדַעַת טוֹב וָרָע lucem capere ex verbis v. 5. vbi serpens dixerat: nouit Deus, fore vt, quo die fructus ab illa arbore sumseritis, oculi vestri aperiantur, atque euadatis כֵּאלֹהִים יֹדְעֵי טוֹב וָרָע et verbum הָיָה rectius ad conditionem hominum referri immutatam: *en, homo iam nobis euasit similis* (non totius quidem sapientiae nostrae atque naturae praestantioris ratione habita, sed) *discrimine boni et mali (facti liciti et illiciti) recte intelligendo.* Deum ipsum quidem creatorem, aeternum, auctorem legum omnium, omniscium, nunquam latere potuit discrimen, quod bonum malumque intercedit, quanquam ipse nihil diligit atque decernit, nisi, quod verum, rectum, bonum est. Hominés vero naturam peccati experiundo demum cognouerunt, quum ipsi in vetitum niti ac delinquere coepissent, egressi statu innocentiae. Recte igitur Deus de hominibus, quum legem ipsius violassent, dicere ita potuit (ειρωνεια quadam more humano adhibenda, ad illud serpentis promissum v. 5. alludente): en, homo nobis (quos bonum malumque *sponte* cognoscere oportet) hac in re similis factus est (ipse iam coepit, iactura quidem innocentiae facta, discrimen honesti et inhonesti cognoscere peccando.) Nolim enim cum nonnullis interpretibus de adfectu inuidiae cogitare, qui h. l.

ex anthropomorphiſmo Hebraeorum veterum Deo Iehouae tribuatur, hominibus indignanti, quod cognitionem illam (praerogatiuam Dei ceterorumque Elohim) ſibi vindicauerint, ideoque donum immunitatis a neceſſitate moriendi, qua hucusque gauiſi fuerant, iis eripienti, ne Deo ceterisque caelitibus omnino pares fierent. Eiusmodi adfectum humanum, quo Deus hominibus lapſis poenam decreuerit ac nuntiauerit, neque verba ſpirant v. 17. ſeqq. obuia, neque, quae v. 22. legimus. Immo quod Deus Iehoua Geneſ. 2, 17. minatus fuerat, fore vt homines, ſi de fructibus arboris ſumſiſſent interdictae, morti redderentur obnoxii, id omnino, peccato vere commiſſo, exſequi debuit. Quum noluiſſent homines in ſtatu innocentiae puerilis acquieſcere, immo, mandato Dei violando, peccare ſemel coepiſſent (ad alia quoque peccata omnia procliuiores redditi), neceſſe fuit, tota eorum conditio, ex decreto creatoris et legislatoris ſummi, deterior, eorumque corporis natura mortalis fieret. Haec paulo prolixius declaranda putaui, quo pateret, ex cap. tertio Geneſeos non poſſe ſapientiam probari et intelligentiam ſingularem Adamo concreatam. Quaerere item liceat, quomodo tandem animi vis eximia in adfectibus coërcendis atque temperandis ſeſe exſerens, ſapientia plane inſignis, iuſtitia concreata iis tribui potuerit, qui ſermonibus ſerpentis et ſuauitate fructuum arboris interdictae ſe ita decipi paſſi fuerint, vt mandata Dei violarent? Immo apparent nobis ea, quae c. 2. et 3. Geneſeos expoſita leguntur, perlu-

ſtrantibus homines primi pueris ſimiles, patri dilecto obſequentibus, et in hoc obſequio, quod animum tranquillum et beatum reddit, acquieſcentibus, inſtructi quidem viribus recte faciendi et Deo obſequendi, incorrupti, atque innocentia gaudentes, qualis eorum eſſe debebat, qui diſcrimen boni et praui, atque vim peccati experiundo nondum cognouerant, ita tamen comparati, vt vim cupiditatis legi paternae repugnantis, externis rebus excitatae, aliquo tempore ſentirent, huiusque illecebris tandem ſuccumberent. Neque, ſi צֶלֶם ac דְּמוּת ſapientiam illam et iuſtitiam concreatam innueret, cap. 9. v. 6. Deo loquenti verba tribui potuiſſent, quae homines eo quoque tempore, quo peccauiſſent, imagine diuina nequaquam caruiſſe teſtantur. Ceterum iam ſupra vidimus, vſu loquendi hebraico praeeunte, formulam c. 1. v. 26. obuiam: בצלמנו כדמותנו non tam naturae primorum hominum internae deſcribendae inſeruiiſſe, quam aliquid ſignificaſſe, quod ad conditionem externam pertineret.

Poſtquam recentiores Theologi partim omnino in dubium vocauerant, quae vulgo de ſingulari illa animi praeſtantia docebanur, hominibus primis propria neque ad poſteros propagata, partim intellexerant, notionem *eiusmodi* imaginis diuinae in documentis Geneſeos fruſtra eſſe quaeſitam, maluerunt plures in eo acquieſcere, vt homines primos, quum ratione, arbitrio libero, omninoque viribus animum magis magisque perficiendi diuinitus

instructi prodiissent, imaginem Dei pariter retulisse dicerent, ac nos omnes, iisdem dotibus gaudentes, imaginem numinis summi referamus, atque praeterea vitiositatis expertes fuisse, vsque dum arborem tangerent interdictam[25]). Quae quidem persuasio de conditione interna primorum hominum nequaquam arbitraria est, sed cum naturae ipsius rei tum effatis Geneseos accommodatissima. Quaecunque enim scriptores illi antiquissimi de factis sermonibusque hominum primorum exposuerunt, abunde testantur, hos eandem persuasionem tenuisse, etsi de nulla cogitauerint vel sapientia, vel sanctitate concreata, qualem scholae Theologorum praedicare soleant. Neque vero, scriptores nostros his potissimum vocibus צֶלֶם et דְּמוּת persuasionem suam declarari voluisse, vlla ratione idonea vel ex ipsa vtriusque vocabuli indole, vel ex iis effatis, vbi mentio imaginis diuinae facta est, eorumque serie depromta efficitur.

Aliam viam ingressi sunt, qui illos documentorum Geneseos auctores, hominibus pri-

---

25) cfr. *Döderlein christlicher Religionsunterricht nach dem Latein. des Verf. ausgearbeitet von Junge, achter Theil*, S. 37. sqq. *Storr Lehrbuch der christl. Dogmatik, übersetzt mit Erläuterungen von Flatt*, S. 418. *Ekermann Handbuch für das systematische Studium der christlichen Glaubenslehre, dritter Band*, S. 46. Neque inter antiquos ecclesiae doctores defuerunt, qui eiusmodi notionem imaginis diuinae teneri vellent. Cfr. loca Clementis Alex. et Origenis supra laudata. Nouatianus de trinit. c. 1.

mis imaginem diuinam vindicantes, de externis ornamentis, dotibus, et commodis cogitasse iudicarent. In his fuerunt, qui sub imagine diuina libertatem a moriendi necessitate intelligerent, quae hominibus primis, priusquam legem diuinam violarent, concessa fuerit. 26). Quae quidem sententia aduersarios haud paucos nacta est, argumentis philosophicis docentes, quam parum recte iudicent, qui naturam corporis primorum hominum ab indole nostrorum corporum prorsus diuersam fuisse existiment. Nostrum est, missa hac disputatione philosophica (ad commentationem nostram exegeticam non pertinente) duas tantum quaestiones mouere, alteram, num illi Geneseos scriptores re vera docuerint, parentes generis humani, antea quam peccatum primum committerent, a necessitate mortis subeundae fuisse immunes, alteram, num hanc potissimum imaginem appellauerint diuinam?

26) Satis antiquam esse hanc persuasionem locus docet libri sapientiae 2, 23. Cfr. Tatianus orat. ad Graecos p. 146. 47. Teneamus modo, ab interpretibus huius generis de immortalitate et animi et corporis cogitantibus, quae hominibus ante lapsum contigerit, distinguendos esse eos, qui ad imaginem diuinam immortalitatem animi (cfr. Augustinus de quant. anim. c. 2.) referendam esse docuerint, quam quidem parentibus generis humani pariter contigisse, atque nos omnes ea gaudeamus, nemo vnquam dubitabit (etsi in effatis Geneseos ad imaginem diuinam spectantibus vestigia nulla deprehendamus, e quibus colligere liceat, scriptores illos hanc animi immortalitatem vocibus צֶלֶם ac דְּמוּת designasse).

Quod priorem illam attinet, licet omnino, quae fuerit perſuaſio ſcriptoris, qui documenti c. 2. Geneſeos a v. inde 4. vsque ad finem c. 3. litteris conſignati auctor exſtitit, e loco c. 3. v. 22. coll. c. 2. v. 16. 17. luculentiſſime cognoſcere. Audimus quippe ſcriptorem illum c. 3. v. 22. de iis, quae Deus, hominibus lapſis, conſtituerit haec eloquentem: *Porro Iehoua Deus ita eſt loquutus: en, Adamus ſimilis factus eſt noſtrûm ſingulis, cognoſcendo bonum et malum; iam vero caueamus, ne manum ſuam extendat, de arbore vitae porro (fructus) ſumat, comedat, viuatque aeternum.* Cuius effati interpretes plerique vel omnino negligunt voculam וְעַתָּה, vel: *inſuper, etiam, praeterea*, vertendam exiſtimant. Quodſi poſterius probatum fuerit, ſequitur, e ſententia auctoris huius documenti homines primos, priusquam de arbore interdicta (cognitionis boni et mali) fructus decerperent, nondum omnino vſos eſſe arbore vitae [27]), nec vitae perpetuae fuiſſe deſtinatos, ideoque Deum iam metuendum putaſſe, ne forte homines, fructibus illius arboris interdictae comedendis audaciores redditi, illam quoque arborem vitae (in vſum Elohim potius quam hominum plantatam) guſtaturi eſſent, vitamque in his terris ſeruaturi

27) Sub *arbore vitae* auctorem huius documenti eiusmodi arborem intellexiſſe, cuius fructus vim habuerint vitam eorum, qui his vterentur, in perpetuum incolumem ſeruandi, plerique recte largiuntur. Cfr. V. Gabler: *Eichhorns Urgeſchichte, zweiten Theils zweiter Band. S.* 104.

perpetuam. Verum, quae c. 2. v. 9. 16. 17. leguntur, me impediunt, quo minus huic interpretationi plerisque probatae meum addam calculum. Etenim, postquam scriptor v. 9. docuerat, Deum Iehouam in horto Eden praeter alias arbores (adspectu pulcras et ad comedendum suaues) et arborem cognitionis boni atque mali et arborem vitae plantauisse, *nonnisi* de illa arbore cognitionis v. 17. addidit, Deum hominibus primis interdixisse, ne fructus de ea decerperent. Nolim vero ex his colligere, huius quoque arboris vitae vsum mandato diuino fuisse interdictum. Quodsi scriptor ita sibi persuasum habuisset, absque dubio huius mandati pariter atque illius mentio facta esset. Sed tantum abest, vt eiusmodi persuasionem verbulo innuat, vt satis aperte eo sermone, qui Deo v. 16. tribuitur: *(de omnibus horti arboribus fructus comedas)* significet, ab illis arboribus varii generis, quae in vsum hominum plantatae, iisque permissae fuerint, *vnam* tantum (arborem cognitionis), cuius vsum Iehouam iis interdixisse verbis confestim v. 17. sequentibus docuerit, distinguendam esse. Qualis autem poena violationi huius legis diuinae adnectitur? *Quo die* (inquit Deus v. 17.) *de illa* (arbore cognitionis) *fructus comedes, morieris.* Neque vi sua caruit haec Dei comminatio. Docet enim scriptor c. 3. v. 19. Iehouam, quum homines ausi fuissent legem diuinam transgredi, iis nuntiasse, fore, vt in terram pulueremque rediturі (morituri) essent (cui effato postea euentum respondisse

historia sequens demonstrat[28]). His inter se comparandis efficitur, opinor, parentes generis humani (si historiam sequamur c. 2. et 3. Geneseos expositam) olim quidem fructibus arboris vitae vti potuisse (vitae quippe perpetuae in horto Eden agendae a Deo creatore destinatos, et ab omni mortis subeundae necessitate immunes), postea vero, mandato Dei de arbore cognitionis non tangenda violato, iure fructibus illis vtendi esse priuatos, horto Eden depulsos (c. 3. v. 23.), et necessi-

28) Repugnare quidem videtur primo obtutu effatum Iehouae Genes. c. 2. v. 17. כִּי בְיוֹם אֲכָלְךָ מִמֶּנּוּ מוֹת תָּמוּת narrationi sequenti, quae docet, homines primos, quum vsum arboris interdictae, inuito Deo, sibi vindicassent, minime *eo ipso die*, quo peccassent, diem obiisse, sed diutius vitam produxisse. Video tamen, huius difficultatis expediendae rationem duplicem in promtu esse, alteram, vt verba מוֹת תָּמוּת cum nonnullis interpretemur: *necessitati moriendi fies obnoxius*, alteram, vt concedamus, Deum, etsi c. 2. v. 17. nuntiasset, homines, quo die nisi fuissent ab arbore interdicta fructus depromere, eodem morituros esse (quo grauius homines ab omni legis datae violatione deterrerentur), postea tamen, peccato ab hominibus commisso, poenam indictam eo migitasse, quod vitam eorum ad certum vsque terminum diutius produci pateretur (saepius quippe documenta Geneseos Deum exhibent poenam, quam nuntiauerat aut decreuerat, posthac mitigantem, coërcentem, differentem. cfr. 18, 26. ff. 20, 7. 25, 21.)

tati moriendi ſubiectos [29]). Proinde voculam גַּם h. l vertere malui: *porro* ſ. *amplius*, lingua hebraica nequaquam repugnante [30]). Quare autem Deus homines iure, quo hucusque gauiſi eſſent, de arbore vitae fructus depromendi iisque comedendis vitam ſeruandi perpetuam priuari voluerit, licet e verbis Dei (c. 3. v. 22.) cognoſcere: הֵן הָאָדָם הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ de quibus recte intelligendis ſententiam meam (ab ea, quam olim in hac ipſa commentatione declaraueram, deflectentem) ſupra vberius expoſui. Quanquam igitur hiſtoria c. 2. 3. Geneſeos expoſita docet, auctorem huius documenti ad ſtatum hominum primaeuum omnino libertatem a neceſſitate mortis ſubeundae referri voluiſſe, et hac in re *ſimilitudinem quandam Dei hominumque primorum* deprehendiſſe (quae poſtea ceſſauerit, poſtquam homines diſcrimen boni et mali experiundo cogno-

29) Adſentientem mihi habeo B. Carum: *Pſychologie der Hebräer* (*Leipzig* 1809.) S. 55. ſq.

30) Ni omnia me fallunt, latet omnino notio facti cuiusdam *iterandi* ſ. *continuandi* in vſu emphatico vocabuli גַּם 1. Samuel. 24, 12. vbi haec leguntur: וְאַבִי רְאֵה גַּם רְאֵה Effatum Zachariae 3, 7. (quo V. Hensler vſus eſt voculae גַּם poteſtatem illam vindicaturus: *Bemerkungen über Stellen in den Pſalmen und der Geneſis* S. 262.) quanquam hanc ſignificationem egregie admittit, dubiae tamen eſt interpretationis. Ceterum ſponte patet, quam facili notionum ſerie vulgari vſui voculae גַּם ea, quam loco Geneſ. 3, 22. tribuendam dicimus, ſignificatio adnectatur.

uiſſent; minime tamen inde demonſtrare auſim, formulas צֶלֶם et דְּמוּת אֱלֹהִים (in documentis alius cuiusdam ſcriptoris c. 1. 5. 9. obuias) per ſe ſpectatas notionem huius immortalitatis eſſe complexas. Quodſi hoc demonſtrari poſſet, concedendum certe eſſet propter locum c. 9. v. 6. immortalitatem illam minime partem imaginis diuinae primariam conſtituiſſe.

Ex ipſis verbis ſcriptoris c. 1. v. 26. commemorationem imaginis diuinae hominibus conceſſae excipientibus illius formulae vim ac poteſtatem haud pauci Theologi interpretati ſunt, ſub imagine illa *imperium* intelligentes in *animalia exercendum*.[31]). Quae quidem ſententia haud parum eo commendatur, quod Deus partim c. 1. v. 26. conſilio, quod ceperat, homines cum imagine ſua creandi paucis declarato, verbis ſolennibus poteſtatem hominum futuram animalibus imperandi praedicat,

---

31) cfr. Augustinus l. 1. de Geneſ. contra Manichaeos §. 26. Ammon: *bibliſche Theologie, erſter Band*, S. 285. eiusd. ſumma theologiae Chriſt. (Erlangae 1808.) p. 122. *Jerusalem Betrachtungen über die vornehmſten Wahrheiten* etc. *2ter Theil, 2ter Band.* Michaelis in notis ad Geneſ. 1, 26. ſq. *Stäudlin Lehrbuch der Dogmatik und Dogmengeſchichte* (*Göttingen* 1801.) S. 328. Ven. Gabler: *Eichhorns Urgeſchichte erſter Theil.* S. 223 ſqq. etſi eorum quoque ſententiam, qui formam corporis intelligunt, ipſi non diſplicere profeſſus eſt. Add. Schuster: *die älteſten Sagen der Bibel nach ihrem hiſtoriſchen und praktiſchen Gehalt* (*Lüneburg* 1804.) S. 37. ſq. S. 67 ſqq.

partim c. 9. postquam de eodem imperio hominibus post diluuium reddito sermo fuerat (v. 2. sqq.), iterum (v. 6.) imaginis suae illis concessae mentionem iniicit. Neque quicquam habet vel ab ingenio illius saeculi vel a natura ipsius rei alienum. Quidni enim hominem, animalia coërcentem, vsui suo accommodantem, suoque imperio subiicientem, hac ipsa imperandi potestate imaginem Dei referre dicamus, quippe qui, princeps dominusque summus omnium, quae in coelis atque terra sunt, homines in hoc terrarum orbe vices suas gerere voluerit, in ceteras animantes dominando[32])? Verum enimuero alia est quaestio: an ipsi formulae: imago Dei, notio illa imperii in animantes exercendi, tanquam prima et propria, inhaereat, neque potius ex serie orationis et aliquo cogitationum nexu eruenda sit, et illi adnectenda?

Immo vim formulae propriam, prae ceteris omnibus, quae vel erui inde possunt, vel eidem adnecti et superstrui, tenendam recte, opinor, intelligunt, qui largiuntur, illam Dei imaginem in effatis Geneseos explicatis celebratam ad *formam corporis hominum*, *formae Dei Iehouae atque Elohim similem* referendam esse[33]). Ille enim vsus vocabulorum צֶלֶם ac

---

32) cfr. Ps. 8. 6. sqq.

33) Quam quidem interpretationem aeuo antiquiori minime incognitam fuisse docent exempla *Melitonis* (Origenes T. I.

דְּמוּת, quem ſupra in ipſa explicatione loci Geneſ. 1, 26. illuſtrauimus, ſponte ſuadet interpreti, vt ante omnia de *ſpecie* et *forma* homini diuinitus impreſſa cogitet. Quo iure autem documentis Hebraeorum antiquiſſimis notionem illam hominis, forma et ſtatura corporis imaginem Dei creatoris referentis vin-

---

p. 25. ed. Bened.) *Audianorum* (Epiphanius haereſ. 70. c. 1. 14. 15.) Iustini (fragm. de reſurrect. p. 31. ed Teller.) Irenaei (aduerſus haer. l. 5. c. 6.) Lactantii (inſtitt. diuu. l. 2. c. 10. qui ad imaginem Dei hominibus datam et facultatem ſentiendi atque intelligendi et corporis formam referendam exiſtimat, ſimilis hac in re *Auguſtino*, quippe qui l. 6. de Geneſ. c. 12. etſi adfirmat, ad intellectum mentis pertinere, quod homo ad imaginem Dei factus dicatur, concedit tamen, corporis quoque humani indolem non omnino excludendam eſſe, ſiquidem homo ſtatura gaudeat erecta, vt admoneatur, terrena ipſi haud ſectanda eſſe). Inter recentiores imaginem diuinam alii in forma et habitu corporis pariter, atque in poteſtate homini conceſſa animantibus imperandi Deumque creatorem efficacia ſua imitandi quaeri voluerunt (cfr. V. Stäudlin loco nota 31. laud. B. Herder: *älteſte Urkunde des Menſchengeſchlechts, erſter Band, in ſ. ſämmtlichen Werken zur Religion und Theologie, fünftem Theile*, S. 67. ſq. eiusd. *Ideen zur Geſchichte der Menſchheit, zweiter Theil in ſ. ſämmtlichen Werken zur Philoſophie und Geſchichte, viertem Theile*, S. 312. ſq. B. Carus *Pſychologie der Hebräer* S. 53. ſq.) alii in ſola corporis forma (cfr. Ill. Rosenmüller ſcholia in V. T. P. I. p. 39. ſq. B. Heyne: excurſus 1. ad Virgil. Aen. l. 9. exc. 13. ad Aen. l. 1. B. Bauer: dicta claſſica V. T. ſectio prior p. 227. coll. p. 18.)

dicemus, vestigia docent, quae liber Geneseos suppeditat, luculentissima anthropomorphismi Hebraeorum veterum, numini diuino aliquam corporis speciem et formam tribuentis. Quis enim est, qui nesciat, documenta Geneseos Deum exhibere incedentem (3, 8. 5, 22. 6, 9.) descendentem (11, 5. 18, 21. 17, 1. 22. 28, 17.) adscendentem (35, 13.) odorem sacrificii suauissimum naribus percipientem (4, 4. 5. 8, 21.) in homine condendo artificis humani instar elaborantem (cap. 2.) vt alia multa anthropomorphismi, quem dicimus, testimonia praeteream? Accidit omnino Hebraeis, quod inter alias gentes in aetate puerili versantes hominesque ratione minus exculta gaudentes et factum esse et etiamnum fieri historia docet et experientia, vt notionem formae cuiusdam et figurae, humanae (omnium quippe, quae in terra apparent, formarum pulcerrimae) similis (quanquam longe pulcrioris magisque augustae), ab idea numinis diuini seiungere non possent. (Homeri Il. δ, 75. Odyss. π, 157. sq. Cicero de natura Deorum l. 1. c. 18.) [34]).

Quae quum ita sint, iure meritoque mihi adfirmare videor, quaestionem de sensu formulae, qua homo *cum imagine Dei* creatus

34) cfr. *Hezels Schriftforscher in einem Sonntagsblatt zur Ehre der Offenbarung*, 21—26. *Stück*, *Giessen* 1791.

dicitur, distinguendam esse ab ea quaestione latius patente, quae *vniuersam* indaget *similitudinis cuiusdam et cognationis Dei hominumque notionem*, in libro Geneseos expressam (etsi vtramque alteri ipsius rei natura cohaerere facile pateat). Illa quippe *imago Dei* (quae in effatis Geneseos supra explicatis vocibus צֶלֶם ac דְּמוּת innuitur) nonnisi *externam formae et figurae similitudinem* complectitur. Neque vero dubitamus, Hebraeos veteres praeterea similitudinem quandam et cognationem Dei atque hominum in eo quoque deprehendisse, quod homines *partim* ante lapsum (pariter atque Deus Iehoua et Elohim) a necessitate mortis subeundae omnino immunes fuerint, quamdiu arbore iis interdicta abstinerent, atque discrimen boni et praui ignorarent, (cfr. quae supra de loco c. 3. v. 22. disputata sunt), *partim* diuinitus potestatem acceperint animalibus ac toti terrae imperandi (et animalium, et omnium, quae in terra sunt, vsum faciendi ipsis commodum). Vtraque similitudinis et consortii cuiusdam Dei hominumque ratio, quanquam in documentis Geneseos non solet צֶלֶם appellari ac דְּמוּת, illi tamen, quae his vocibus exprimitur, imaginis diuinae (ad formam externam referendae) notioni est coniunctissima, mihique omnino persuasum habeo, Hebraeos veteres imaginem Dei (צֶלֶם et דְּמוּת) commemorantes de illa quoque similitudine Dei hominumque, in inperio hominibus concesso versante cogitasse. Illa enim immunitas a necessitate mortis subeundae pariter atque imago Dei (quam non periisse, etsi homines

immortalitatis corporum priſtinae iacturam feciſſent, locus docet Geneſ. 9, 6.) ad indolem corporis hominum pertinuit. Huius vero poteſtatis imperandi (cuius notio c. 1, v. 26. commemorationi imaginis diuinae ſtatim adnectitur) ſigno inſeruit imago Dei hominibus impreſſa. Quemadmodum quaeuis imago veluti vices gerit rei, quae exprimitur; ita, quum homo in his terris (poteſtate imperium in animalia totumque terrarum orbem exercendi inſtructus) vices gerat numinis ſummi, eiusmodi forma ipſi contigit et ſpecies, magni quid et auguſti prae ſe ferens, quae hominem a ceteris animantibus diſtingueret, omnibusque nuntiaret, hunc eſſe terrae dominum, Dei creatoris vicarium. Neque negauerim, ſcriptoribus Geneſeos, hominibus poteſtatem imperandi diuinitus conceſſam vindicantibus, probe intellectum eſſe, contigiſſe ipſis eiusmodi corporis animique dotes, quales huius imperii vſus ponat et efflagitet, eosque etiam hac in re Deo, principi ac domino ſummo terrae coelorumque, quodammodo ſimiles fuiſſe. Teneamus modo, hoc poſterius non tam verbis ipſis ineſſe, quibus auctores illi conditionem hominum deſcripſerint, quam (neceſſaria quadam notionum et ſententiarum ſerie obſeruanda) ex aliis, quae docuerint, eruendum eſſe et coniiciendo probe intelligi, neque voces ipſas, quae *imaginem Dei* ſignificent, praeter formam et figuram alia complecti.

Sequitur iam, vt de iis Geneſeos effatis videamus, quae ſpiritus ſ. halitus diuini

in homine versantis mentionem faciant. De his exponet sectio posterior, cuius in lucem proferendae occasionem idoneam non defuturam video.

Commentatio Octaua*).

Differitur de effatis Geneſeos, quae Spiritum diuinum in hominibus verſantem commemorant.

Siue ſectio poſterior commentationis notionem cognationis Dei hominumque in libro Geneſeos expreſſam indagantis.

*) Edidi hanc commentationem, ad dies feſtos memoriae natu Ieſu Chriſti ſacros rite celebrandos inuitaturus Ienae MDCCCXII.

In notione cognationis Dei et hominum, qualem liber Geneſeos antiquiſſimus ſuppeditat, ex effatis huius voluminis ſingulis eruenda atque illuſtranda nuper ita verſatus ſum, vt ea Geneſeos loca perſequerer, quae Dei imaginem hominibus conceſſam praedicant, quo facto, quae formulis ipſis imaginem Dei ſignificantibus inhaererent, facile paucis declararentur, atque ab aliis Hebraeorum antiquiſſimorum notionibus placitisue ad cognationem quandam Dei hominumque ſpectantibus, illi quidem imaginis diuinae notioni coniunctiſſimis, neque vero in ipſis formulis: צֶלֶם ac דְּמוּת per ſe ſpectatis latentibus, diſtinguerentur. Quanquam vero, ad quaeſtionem illam pertractandam animum adpellentes, omnino intelleximus, conſilio huius diſputationis non poſſe omni ex parte ſatisfieri, niſi eorum quoque Geneſeos effatorum examen accuratius inſtitutum fuerit, quae halitum ſ. ſpiritum diuinum in homine verſantem commemorent; minime tamen vtrumque genus locorum vna

eademque commentatione complecti licuit, vrgentibus quippe temporis anguſtiis. Nolumus iam, opportunitate ſcribendi iterum oblata, diutius differre, quod ipſa quaeſtionis, quam tractare coepimus, natura pariter atque promiſſi noſtri ratio efflagitat.

Sectio poſterior.

Quemadmodum ea creationis coeli, terrae, hominumque hiſtoria, quae capite primo Geneſeos vsque ad v. 3. capitis ſecundi proponitur, nobis de notione imaginis diuinae hominibus conceſſae diſputantibus effatum ſuppeditauit hac in re grauiſſimum; ita, quae capite ſecundo v. 4—7. ſequitur, efformationis terrae et originis primi hominis deſcriptio, ab alio auctore profecta, illius, quam diximus, doctrinae de halitu quodam numinis diuini in homine verſante veſtigia exhibet luculentiſſima. Audimus quippe ſcriptorem illum c. 2. v. 7. de origine hominis primi haec narrantem:

וַיִּיצֶר יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם עָפָר מִן־הָאֲדָמָה
וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה

Cuius effati ſententiam interpretandis ſingulis accuratius conſtituendam eſſe video. Ipſe vſus verbi יצר haud obſcure ſcriptorem arguit Anthropomorphiſmo minus culto (quo priſca

gentis hebraicae indoles carere omnino non potuit) indulgentem, numinique ſummo tribuentem, quae humano potius conueniunt artifici. Solet quippe notionem efformandi exprimere, ita vt de artifice potiſſimum (v. c. figulo) aliquid fingente valeat (cfr. Ieſ. 29, 16. 44, 10. 12.). Deus inducitur ex puluere terrae hominem formans. Haec enim ſententia prodit vniuerſa, quanquam de verbis ſtruendis diſſentiunt, aliis quidem praepoſitionem מִן per traiectionem poſitam exiſtimantibus, ad עָפָר potius referendam: *formauit Deus hominem ex puluere terrae*, aliis ellipſin praepoſitionis מִן admittentibus, ante עָפָר tacite ſubintelligendae: *formauit Deus hominem ex puluere de terra deſumto*, aliis (quae quidem ratio prae ceteris facilitate commendatur) vocem עָפָר caſu quarto accipientibus atque de gleba terrae interpretantibus (quemadmodum Geneſ. 26, 15. Pſ. 22, 30. et alibi de terra dicitur, ita vt notio puluꝛis haud vrgenda ſit): *formauit D. hominem, qui*, (antequam ipſius efformatio conſummata eſt) *gleba fuit ex terra deſumta* ſ. *ita vt* (initio) *gleba eſſet terrena*. Duplex fuiſſe dicitur Iehouae in creando homine negotium, alterum, quo corpus, membris quidem inſtructum, vita tamen carens, exſtitit (quod ab auctore noſtro, ſumma ſermonis breuitate et ſimplicitate vtente, ratione originis ſuae ex terra repetendae habita, עָפָר מִן־הָאֲדָמָה adpellatur), alterum, quo huic maſſae vita contigit. *Iehoua formte den Menſchen als Staub* (*eine Staubmaſſe*) *aus der Erde*. Ipſe vero vſus phraſeos: עָפָר מִן־הָאֲדָמָה haud obſcure docet,

ſcriptorem huius documenti nomen אָדָם ex ſubſtantiuo אַדְמָה explicari voluiſſe, ita vt illud notionem filii terrae, ex terra prognati, exprimeret. Quae quidem etymologica vocabuli interpretatio vtrum recte ſe habeat (ſiue vſus ille vtriusque ſubſtantiui, anteaquam hoc documentum ſcriberetur, vel propter ipſam hominis originem terreſtrem, vel propterea, quod aetati illi de origine hominis ita perſuaſum eſſet, inualuiſſe, ſiue prius certe vocabulum אָדָם ab hoc ipſo, in quo verſamur, documento profectum eſſe cenſeatur), an verbum אָדַם (ex Arabum lingua oriundum): *fuſcum, rubicundum eſſe* (cfr. Threni 4, 7.) pariter vocabuli terram ſignificantis (in illis quidem regionibus orientalibus fuſco potiſſimum colore gaudentem) atque nominis אָדָם (de homine hominibusque vſurpati, ſiquidem color hominum ſub coelo feruentiori fuſcus eſſet) ſtirps exſtiterit?[1]) minime huius eſt loci atque temporis, accuratius diſquirere[2]). Ad noſtram

---

1) cfr. *Bruns: Unterſuchung der älteſten Sagen von der Entſtehung des Menſchengeſchlechts in Paulus neuem Repertorio für bibliſche und morgenländiſche Litteratur.* P. II. p. 197.

2) Certius omnino de his iudicare liceret, ſi modo certo conſtaret, an documentum noſtrum vel prius ſcriptum fuerit, quam vocabula illa אָדָם et אַדְמָה in ſermone hebraico inualeſcerent, vel eo certo tempore litteris ſit conſignatum, quo lingua illa excoli inciperet, et vocabulis ditari.

quippe disputationem ea potissimum verba pertinent, quibus docetur, quomodo Iehoua creator massae hominis ex terra formatae vitam conciliauerit: וַיִּפַּח etc. Inflasse s. inspirasse naribus hominis (nondum viuentis) dicitur נִשְׁמַת חַיִּים: halitum vitae (i. e. vitalem, vitae auctorem, quemadmodum v. 9. עֵץ הַחַיִּים arbor dicitur, quae vitae in perpetuum seruandae inseruire potuit). Addit: וַיְהִי etc. cuius effati sententiam facile patet totam a voce נֶפֶשׁ pendere recte intelligenda. Licet omnino has distinguere vocabuli significationes in libro Geneseos obuias: a) *halitus*, *spiritus*, qui vitam physicam seruat et nutrit, *Lebenshauch*, *Odem*, Genes. 1, 30. (vbi נֶפֶשׁ dicitur חַיָּה), b) (quam secundam substantiui significationem ex illa prima sponte fluere intelligimus) *fons*, s. *principium vitae* (Genes. 9, 4. אַךְ־בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ: modo ne carnem cum anima sua, sanguine suo, comedatis i. e. modo eiusmodi carne abstineatis, cui vitae fons, id est sanguis, inhaereat) c) *vita ipsa* (Genes. 19, 17. 19. 20. 35, 18. 37, 21.) d) *quaeuis natura (res creata) halitum ducens vitalem* s. *respirando viuens* (quo sensu נֶפֶשׁ חַיָּה dicitur Genes. 1, 20. 24. 2, 19. 9, 12. 15.) e) *homo* potissimum s. *persona hominis*, vbi illius primae et propriae vocabuli potestatis, qua de halitu vitali vsurpatur, fere nulla amplius ratio haberi videtur (Genes. 12, 13. 17, 14. 27, 4. 19. 25. 36, 6. 46, 15. 18. 22. 25. quibus effata addere licet, vbi sensu angustiore *seruos* complectitur Genes. 12, 5. 14, 21.) f) *voluntas* s. *adfectus hominis*, quippe quo vim suam exserente vita hominis

praecipue redditur conſpicua (Geneſ. 23, 8. 54, 5. 8.) g) *animus humanus*, ſedes voluntatis et adfectuum (Geneſ. 44, 30. 49, 6.). Noſtro quidem loco, quum voci נֶפֶשׁ additum fuerit חַיָּה, et vtrumque ad Adamum referatur, in promtu eſt, ſignificationem quartam eligendam eſſe: *exſtitit homo* (qui antea maſſa fuerat terrena, forma quidem gaudens, attamen vitae expers) *natura reſpirando viuens*. Neque verba totius loci impedita ſunt, neque res ipſa difficultatibus premi videtur, ſi modo lector indolem illius aetatis probe perpenderit. Quod poſterius ab interprete erudito *Michaele* neglectum video, in deſcriptione Dei naribus hominis halitum inflantis vitalem ita offendente, vt verba: וַיִּפַּח etc verti mallet: iuſſit in eius naribus halitum ſpirare vitalem. Sed nihil eſt, quod ſignificationem verborum propriam relinqui iubeat, quum omnino in illis Geneſeos documentis plura obueniant, quae ad Deum eiusque agendi modum ab hominibus negotiisque humanis adpareant translata [5]). Nemini profecto mirum videri poteſt, quod Deo Iehouae, qui c. 3. v. 21. hominibus primis veſtes paraſſe dicitur, noſtro loco (vbi eadem obtinet et ſermonis et totius cogitandi rationis ſimplicitas) eiusmodi negotium humanum inflandi tribuatur. Quod perſuaſionem

5) cfr. quae veriſſime diſputauit V. Gabler: *Eichhorns Urgeſchichte herausgegeben mit Einleitung und Anmerkungen, zweyten Theiles erſter Band, Einleitung zum zweyten Theil der Urgeſchichte* (Altdorf und Nürnberg 1792.) p. 74 ſqq.

ipsam de homine ex terra creato adtinet, etsi lubentissime concedamus, rationem, qua scriptor Iehouam hac in re elaborantem exhibuerit, esse anthropopathicam, verissimum tamen adgnoscimus, quod ex historia proposita elucescit, Deum homini eiusmodi corpus contingere voluisse, quod terreni quid haberet. Vtrum vero hoc placitum verissimum inter ea referendum sit, quae scriptori reuelatione proprie sic dicta suppeditata fuerint, an ex ingenio ipsius fuerit profectum, quum experiundo cognouisset, corpus hominis mortui in puluerem terrae redigi (cfr. c. 3. v. 19.) aut artifices obseruasset humanos ex terra aliaue eiusmodi materia formas humanae similes effingentes, non ausim equidem decernere. Neque causam desideramus idoneam, quare huius narrationis auctor modum, quo Iehoua massam illam recens creatam vita donauerit, ita descripserit, vt Deum induceret naribus hominis halitum vitalem inspirantem. Etenim, quum satis mature intellectum fuisset, et homines, et animantes, quamdiu vita gaudeant, naribus halitum ducere, neque vero in mortuis vllam deprehendi respirationem, facile hinc persuasio de halitu illo, vitae fonte, exstitit. Quanquam vero (vt ex iis patet, quae hucusque disputata sunt) ad partes eorum accedere nequeo, qui auctorem documenti nostri verbis explicatis de *origine animi*[4])

4) Iis interpretibus, qui vocem נפש nostro l. ad *animum* referri voluerunt, de nostra animi notione philosophica cogitantes, obstat profecto, quod partim eadem formula, quae

expoſuiſſe cenſuerunt (ſi quidem, quod ſcriptor noſter a corpore humano diſtinguit, halitus quidem eſt vitalis, res corpore tenuior ac ſubtilior, analogon animi, neque vero ad notionem ſubſtantiae ſpiritualis proprie ſic dictae claram, certam et accuratam poteſt referri); recte tamen adfirmare mihi videor, aliquam Dei hominisque cognationem his verbis declarari. Audimus quippe ſcriptorem noſtrum cauſam vitae humanae totam ad *halitum diuinum* reuocantem, qui in homine verſetur, ſuamque vim et efficaciam exſerat, atque de altera illa naturae humanae parte, quam ipſe a corpore diſtinguit (etſi ad claram animi notionem nondum peruenerat) ita iudicantem, vt eam *diuinam* (ex ipſa Dei natura profectam) eſſe cenſeat. Videtur item ſingularem hominis praerogatiuam atque dignitatem in eo adgnouiſſe, quod Iehoua *ipſe ſuo halitu* illius naribus inflando vitam ei conciliauerit, quum v. 19. huius capitis animalia quidem pariter a Deo ex terra formata eſſe dixerit, neque vero de Iehoua *ſuo halitu* animantibus ceteris vitam largiente aliquid addiderit. Conferre iuuat locum c. 6. v. 3, (in ſequentibus explicandum) vbi *ſpiritum diuinum* nonniſi ad homines referri videbimus. *Das eigentlich Lebendige im Menſchen (welches*

---

noſtro l. legitur, נֶפֶשׁ חַיָּה Geneſ. 1, 20. 24. 2, 19. 9, 12. 15 ad animalia quoque ita transfertur, vt pateat, de halitu potius vitali, quam de animo proprie ſic dicto cogitandum eſſe, partim ne probabile quidem eſt, illam animi notionem in his antiquiſſimis Geneſeos documentis recte quaeſitam eſſe.

den damals noch unentwickelten, und mehr dunkel geahndeten, als deutlich und bestimmt gedachten Begriff der Seele in sich schliesst) ist also der Hauch Gottes im Gebilde der Erde. Es lebt im Menschen etwas Göttliches!

Aliud Geneseos effatum sententiae nostrae illustrandae et confirmandae aptissimum in ea sectione deprehenditur, quae narrationi decretorum diuinorum de inundatione terrae immittenda, et omnibus viuis in terra versantibus (praeter Noachum probum, eiusque familiam, et aliquam animalium partem) exstirpandis nonnulla praemittit de connubiis, quae filii Elohim cum filiabus hominum inierint c. 6. v. 1. 2. 3.

v. 1. 2. וַיְהִי כִּי־הֵחֵל הָאָדָם לָרֹב עַל־פְּנֵי הָאֲדָמָה
וּבָנוֹת יֻלְּדוּ לָהֶם
וַיִּרְאוּ בְנֵי־הָאֱלֹהִים אֶת־בְּנוֹת הָאָדָם כִּי טֹבֹת הֵנָּה
וַיִּקְחוּ לָהֶם נָשִׁים מִכֹּל אֲשֶׁר בָּחָרוּ

Posiquam homines in superficie telluris augeri coeperant, iisque filiae natae fuerant, intellexerunt filii Elohim, pulcras esse hominum filias, atque ex his in matrimonium duxerunt, quaecunque iis placuerant.

In promtu est, cuiuis lectori locum nostrum perlustranti quaestionem sponte offerri: quinam fuerint illi, qui filii adpellentur Elohim? Cuius formulae interpretationes prodierunt diuersissimae. Nam in eo quidem interpretes recentiores consentientes video, quod negent, verum vidisse vel commentatores Iu-

daicos, vel patres ecclesiae Christianae, qui de *angelis* cogitarent. Neque enim in his prioribus Geneseos capitibus alia deprehendimus doctrinae de angelis vestigia (quippe qui c. 16. demum v. 7. 8. adparere incipiunt) neque solent angeli in libro Geneseos בְּנֵי־אֱלֹהִים adpellari (quo sensu haec formula in libro Iobi vsurpatur cfr. c. 2. v. 1.) sed מַלְאָכִים. Verum haud pauci, effatum nostrum ex aliis locis scripturae sacrae Hebraeorum, vbi phrasis illa de veris Dei cultoribus, Deo consecratis, dicitur, atque ad totam transfertur gentem Hebraeorum, Deum quippe verum colentem (Numeri 21, 29. Deuteron. 14, 1. 32, 5.) lucem idoneam capere existimantes, itemque locum c. 4. v. 26. (*illo tempore nomen Iehouae inuocari coeptum est*) in auxilium vocantes, *cultores Dei probos* intellexerunt, qui inter posteros Sethi (c. 4. ex. commemorati) fuerint[5]. Attamen, vt taceam, locum c. 4. v. 26. non ita esse comparatum, vt demonstrare valeat, ad solos pertinere Sethi posteros, quod ibi de cultu Iehouae praestito paucis fuerit expositum, omninoque effatum illud breuissimum, neque ab omnibus interpretibus eadem ratione explicari solitum, non satis aptum videri loco nostro illustrando, ipsa lex oppositi-

5) cfr. v. c. B. Dathii: pentateuchus p. 49. p. 52. C. I. Stein disputatio exegetico-theologica de moribus hominum ante diluuium ad locum Genes. 6, 1—4. Vitebergae, 1783. 4. p. 9. seqq. Ill. Rosenmülleri scholia in V. T. P. I. p. 77. et p. 83. Schusteri liber: *die ältesten Sagen der Bibel nach ihrem historischem und praktischem Gehalte* (Lüneburg, 1804.) p. 189. sqq.

tionis prohibet, quo minus tropicam illam formulae בְּנֵי אֱלֹהִים interpretationem amplectamur. Immo, quemadmodum בְּנוֹת הָאָדָם, quae illis filiis Elohim opponuntur, consensu omnium interpretum sensu proprio *filiae* dicuntur *hominum* (ab hominibus oriundae), ita praestat, filios Elohim *sensu proprio* ita dictos intelligere. (Illum vero loquendi vsum, quo Iudaei se κατ' ἐξοχήν filios s. liberos Dei, probos, electos, gentem Dei, ethnicos vero peccatores et profanos dicerent, aetatis fuisse serioris, neque in documentum nostrum cadere, vix est quod moneamus). Maluerunt alii vel *filios* intelligere *potentum, principum, regum terrestrium*, vel *homines, qui aliis viribus praevalerent*, vel *homines liberos, ingenuos*[6]). Quanquam apud Hebraeos ille loquendi vsus, quo reges et principes subinde אֱלֹהִים dicebantur, satis mature inualuit (cfr. Exod. c. 4. v. 16.) quaerere tamen liceat, an scriptoribus illis aeui antiquissimi, quos in exhibendis narrationibus suis propriam potius quam tropicam verborum significationem tenuisse videamus, eadem dicendi ratio recte vindicetur? Desideramus item argumenta idonea, quibus probetur, homines liberos s. ingenuos ex vsu loquendi hebraico formula בְּנֵי אֱלֹהִים seruis (filiis hominum) opponi potuisse. Locus enim prior, quem Ritterus in comment. nota 6.

6) cfr. b. SCHILLER: *kleinere profaische Schriften, erster Theil* (*Leipzig* 1792.) p. 374. sqq. RITTER: *wer waren die Kinder Gottes u. s. w. in Henkens Museum für Religionswissenschaft in ihrem ganzen Umfange, zweyten Bandes drittem Stück* (*Magdeburg*, 1805.) p. 450. sqq.

laud. in subsidium vocauit, Ps. 82, v. 1. nihil probat, nisi, principes populorum terrestres, magistratus, iudices adpellatos esse אלהים. Quanquam vero sponte patet, principes et magistratus homines esse liberos, minime tamen inde demonstrare ausim, vocabulo אלהים, aut formulae: filii Dei per se spectatae, notionem hominis ingenui adhaesisse. Effatum posterius Ps. 89, 7. dubiae est interpretationis, quum formula בְּנֵי אֵלִם vel de angelis intelligi possit (si quis de eodem loquendi usu cogitauerit, qui in libro Iobi c. 2. v. 1. obtineat) vel de regibus humanis. Neque omnino, etsi loca deprehendantur, quae certo probent, seriori aetate homines liberos s. ingenuos, tanquam liberos, adpellatos esse filios Elohim (quae quidem prorsus desidero), contendere ausim, eorundem usum recte fieri ad historiam nostram illustrandam, in antiquissimis documentis obuiam. Immo, quo certius mihi persuasum habeo, plurima horum documentorum effata lucem lucrari idoneam, si modo, quae fuerit indoles illis temporibus propria, probe tenuerimus, eo lubentius, legem sequutus hermeneuticam, quae oppositum ex opposito illustrari iubet, sententiam amplector eorum interpretum, qui scriptorem *de filiis Dei* s. potius *ceterarum naturarum, praeter Deum creatorem in coelis versantium*, quae olim vna cum Deo creatore communi nomine אֱלֹהִים comprehendi solebant [7]), *propric*

7) cfr. commentationis meae notionem cognationis Dei hominumque in libro Geneseos expressam indagantis sectio *prior.* p. 57. sqq.

ita dictis (i. e. de gente quadam non ab Adamo huiusque posteris, sed ab illis naturis coelestibus oriunda) cogitasse existimant[8]). Veritati huius sententiae confirmandae atque illustrandae praeter illam, de qua diximus, oppositionem filiorum Elohim filiarumque hominum, versus inseruit 4. huius capitis, vbi haec leguntur: *illo tempore Gigantes in terra fuerunt, imprimis, quum filii Elohim filias hominum adiissent, iisque liberos procreassent: hi sunt heroës, qui ab antiquissimo tempore fuerunt, viri famosi.* Quemadmodum inter alias gentes de origine hominum, qui robore suo et virtute bellica prae ceteris eminerent, ita iudicatum est, vt ex connubiis Deorum hominumque prognati dicerentur (vnde apud Graecos et Romanos numerosa illa heroum familia exstitit) ita inter Hebraeos traditio antiqua de נְפִלִים, hominibus corporis statura immani gaudentibus (cfr. v. 4. Numerr. 13, 33.) robore summo et fortitudine bellica insignibus

8) cfr. V. Ilgen commentatio de notione tituli filii Dei in: *Paulus Memorabilien 7tem Stück* p. 131. sqq. B. *Bauer: hebräische Mythologie des alten und neuen Testaments erster Band* (*Leipzig* 1802.) p. 202. sqq. (vbi narratio nostra traditionibus aliarum gentium comparatur). V. *Vater: Commentar über den Pentateuch, erster Theil*, p. 55. sqq. B. *Herder: Geist der hebräischen Poësie* (*der erste Theil s. sämmtlichen Werke zur Religion und Theologie, Tübingen* 1805. p. 209. 237.) Ill. *Buttmann Abhandlung über den Mythus der Sündfluth, in den Musen, einer norddeutschen Zeitschrift, erstem Quartal, Berlin* 1812. p. 13. sqq.

(גִּבֹּרִים v. 4.), qui olim in terra inclaruiſſent, percrebruerat. Neque omnino mirum poteſt videri, et ab indole illius ſaeculi alienum, quod Hebraei antiquiſſimi, hominibus eiusmodi virtutibus conſpicuis originem vulgarem tribui non poſſe exiſtimantes, ex filiabus quidem hominum, filiis vero των Elohim prognatos fuiſſe dixerint. Quinam vero fuerint illi naturarum coeleſtium (Elohim) filii proprie ita dicti, non licet ex noſtro documento breuiſſimo accuratius cognoſcere. Vereor enim, vt commode probari poſſit, quod cum V. Ilgenio (in comment. eruditiſſima nota 8. laudata) plures coniecerunt, illos בְּנֵי אֱלֹהִים homines fuiſſe *ex Caini poſteris*, qui ob ingenii felicitatem et varias, quas inueniſſent, artes (cfr. c. 5.) eo abriperentur, vt ſibi originem vindicarent diuinam. Nulla quippe eiusmodi perſuaſionis Hebraeorum veterum veſtigia in eo documento obueniunt, quod poſteros Caini artesque ab iis inuentas commemorat, eorumque natalia perſequitur humana (cap. 5). Neque cum III. Buttmanno (in comment. nota 8. laud.) dixerim, ſcriptorem ipſos heroes Hebraeorum veterum adpellaſſe filios Elohim, quum v. 4. haud obſcure ipſi heroes (נְפִילִים) ab illis בְּנֵי אֱלֹהִים, tanquam patribus ſuis, diſtinguantur. Lubentius V. Geſeni [9]) ſententiae calculum adderem,

---

9) cfr. *Geſenius hebräiſch-deutſches Handwörterbuch erſter Theil, S. 42.*

ſub filiis Elohim ceteras naturas vna cum Deo Iehoua in coelis verſantes (poſtea מַלְאָכִים ad-pellatas) intelligentis (quippe qui fuerint Dei creatoris filii), niſi alia Geneſeos effata declararent [10]), naturas illas coeleſtes ipſas potius communi nomine אֱלֹהִים comprehenſas eſſe [11]). Nihil, opinor, reſtat, niſi, vt vniuerſe notionem eiusmodi naturarum teneamus, quae ab illis Elohim, vna cum Deo creatore in coelis verſantibus, originem duxerint. Hae dicuntur intellexiſſe, filias hominum eſſe טֹבֹת i. e. pulcras, formoſas (cfr. Canticum Canticc. 4, 10.) ideoque mulieres ſibi ſumſiſſe מִכֹּל etc. proprie: ab omni, quod elegerant (i. e. ex illis virginibus humanis eas in matrimonium duxiſſe, quae ipſis prae ceteris placuerant). Additur v. 3.

וַיֹּאמֶר יְהוָה לֹא־יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם
בְּשַׁגַּם הוּא בָשָׂר וְהָיוּ יָמָיו מֵאָה וְעֶשְׂרִים שָׁנָה

Ipſa verborum ambiguitas totiusque effati obſcuritas admodum varias eiusdem interpretationes peperit, quarum diuerſitatem ab iis potiſſimum pendere video, quae ſinguli de ſenſu phraſeos: *ſpiritus Iehouae*, et formae יָדוֹן iudicauerint. Illius quidem (רוּחַ אֱלֹהִים f. רוּחַ יְהוָה)

10) cfr. commentationis meae ſectio *prior*. p. 58. ſqq.

11) Aliter omnino iudicandum eſſet, ſi formula legeretur: filii Iehouae aut: filii Iehouae Elohim.

significatio antiquissima haec fuit, vt *halitum Dei* innueret (*Hauch, Odem Gottes*). Hoc enim sensu רוּחַ אֱלֹהִים, priusquam Deus coelos et terram efformauit (quamdiu moles adparuit rudis et indigesta), in superficie aquarum spirasse dicitur Genes. c. 1. v 2. Neque defendenda hac sententia iis aduersamur, qui de vento diuinitus immisso cogitant (praeeuntibus aliis effatis Genes. 3, 8. 8, 1. vbi רוּחַ simpliciter, voce אֱלֹהִים non addita, ita commemoratur, vt ventum intelligendum esse pateat cfr. Exod. 15, 8. vbi ventus *spiritus narium Dei* adpellatur). Immo persuasissimum mihi habeo, Hebraeos antiquissimos, ad Deum humana transferre solitos, de causa et natura venti ita iudicasse, vt halitum esse Dei existimarent[12]). Exstitit inde (notionum serie facillima) vsus huius formulae latior, quo ad *efficaciam atque vim numinis diuini* vniuerse translata est, eam potissimum, quae in hominem et mentem humanam sese exserit, v. c. Genes. 41, 38. Ps. 139, 7. I Sam. 11, 6. Ies. 11, 1 sqq. Neque dubitare licet, postquam Hebraei discrimen corporis et animi accuratius intellexissent, formulam: *spiritus Dei* s. *Iehouae* haud raro *de mente, animo, intellectu diuino* vsurpatam esse (Ies. 40, 13.)[13]). Quod vero for-

---

12) Similiter de *halitu* vitali in hominibus et animantibus spirante phrasin נִשְׁמַת־רוּחַ חַיִּים adhibitam legimus Genes. 7, 22.

13) Animus *hominis* רוּחַ dicitur Genes. 26, 35. 41, 8. 45,

mam adtinet יָדוֹן, interpretes antiquiores fere omnes *permanendi* ſ. *habitandi* notionem expreſſerunt[14]) eandemque viam haud pauci ſeriorum interpretum ingreſſi ſunt[15]), ita vt Deus his verbis nuntiaſſe putaretur, ſe homines nunc viuentes mox diluuio perditurum eſſe, neque diutius ſpiritum ſuum ſ. halitum (quo viuant et agant) iisdem conceſſurum. Proinde illi verſionum antiquarum auctores pluribus huius loci interpretibus aliam lectionem v. c. יָלוֹן (a לוּן: pernoctare, tum: habitare, commorari)

---

27. Neque vero memini, in libris V. J. (illis potiſſimum documentis antiquioribus) vel vocabulum רוּחַ de viris auctoritate numinis diuini ad homines loquentibus, ſiue diuinitus excitatis, vel ſubſtantiuum בָּשָׂר de hominibus ipſis, qui ſenſuum voluptatibus indulgeant, vnquam vſurpatum eſſe. Vſus igitur loquendi non permittit, vt cum nonnullis (v. c. Steinio in comment. nota 5. laud.) vertatur: non aeternum elaborare poſſunt viri diuini in reprehendendis his hominibus, in quibus, cum coeca ducantur libidine, opera perditur et oleum.

14) v. c. Vulgatus: non permanebit ſpiritus meus in homine in aeternum, quia caro eſt. LXX. οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις εἰς τὸν αἰῶνα διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας. Onkelos: לָא יִתְקַיֵּם non permanebit generatio haec peſſima coram me in aeternum.

15) v. c. Clericus: Geneſis ex translatione Clerici cum eiusdem paraphraſi perpetua etc. (Amſtelod. 1710.) p. 54. 55. qui vertit: non permanebit, inquit Iehoua, in perpetuum ſpiritus meus in homine.

aut יָדוּר (a דוּר: habitare, Pſ. 84, 11.) ante oculos habuiſſe viſi ſunt. Maluit Michaelis [16]) cauſam, quare ita verterint, inde repetere, quod verbo דוּן, cuius futuri formam lectio vulgaris ſuppeditat, poteſtatem coelitus deſcendendi, in terra verſandi, in corpore humano habitandi vindicandam cenſuerint (ratione habita ſtirpis arabicae دَأَنَ ſ. دَوُنَ: humilem eſſe ſ. humilem fieri, deprimi). Recte, opinor, mentem cepit horum interpretum. [17]) Facile enim fieri potuit, vt genus (cuius notio vocibus ineſſet: permanebit, καταμενῆ), minus accurate vertentes, pro ſpecie (humilis erit, ſ. *infra verſabitur*, id quod voce arabica proprie innuitur) ponerent. Non defuerunt item, qui, lectionem receptam ſequuti, in forma יָרוֹן poteſtatem iudicandi, redarguendi, reprehendendi latere contenderent,

---

16) cfr. Michaelis ſupplementa ad lexica hebraica P. II. p. 423. 24.

17) Hanc obſeruationem V. *Paulo* debeo, qui ephemeridibus Heidelbergenſibus: *Jahrbücher der Litteratur 7. Jahrgang 4. Heft*, 1814. obſeruationes eruditas de commentatione mea ſcriptas (quum prima vice eam edidiſſem) inſeruit. Malim omnino ad huius partes accedere, quam cum Ill. *Geſenio* (cfr. *hebräiſch-deutſches Handwörterbuch, erſter Theil* p. 187.) ſuſpicari, interpretes illos antiquos lectionem vulgarem יָרוֹן ita explicuiſſe, vt verbum דוּן cum alia ſtirpe arabica دَأَمَ (perdurare) conferrent.

ſententiam effati vel hoc modo conſtituentes[18]): non in perpetuum redarguam homines (nolo in perpetuum errores et delicta hominum patienter ferre, eosque admonere, immo poena coercebo ſeueriſſima), vel ita explicantes[19]): non inprouiſo de hominibus iudicabo (nolo ſubito ab iis poenas exigere) immo terminum iis conſtituam. Sed neque puncta formae יָדִין permittunt, vt notionem redarguendi ſ. iudicandi ipſi vindicemus (quum Hebraei verbum potius ſimillimum דִּין ſenſu iudicandi vſurpauerint)[20]), neque formula רוּחִי, eiusmodi interpretatione probata, explicationem admittere videtur ſatis commodam. Illa enim, de qua cogitant, periphraſtica loquendi ratio, qua ſpiritus Iehouae pro ipſo Iehoua commemoratus fuerit, etſi forte locis ſeriorum auctorum (Iobi 6, 4. Ieſ. 30, 1.) illuſtrari poſſit, in illis tamen ſcriptis antiquioribus fruſtra quaeri-

---

18) cfr. Dathii Pentateuchus p. 52. Inter vett. Symmachus vertit: κρινει. Eandem iudicandi notionem Pſeudo Ion. et Hieroſ. Targum. exprimunt.

19) cfr. Geddes apud Vaterum: *Commentar über den Pentateuch, erſter Theil* p. 56. Premitur Geddeſii interpretatio difficultate duplici, quum et vocabuli בְּשַׁגַּם explicatio nimis arbitraria adpareat, et voc. לְעֹלָם, hac ſententia admiſſa, ſenſu deſituatur commodo.

20) cfr. Geſenius in l. l. p. 193.

tur[21]). Quae quum ita ſint, maluerunt plures recentiorum interpretum, vocem illam arabicam (de qua ſupra vidimus) دَأَنَ ſ. دَنَنَ: humilem eſſe ſ. fieri, deprimi, contemni, in ſubſidium vocare, eiusque ſignificationem ad noſtrum απαξ λεγομενον יָדַן transferre (ſpiritus ſ. halitus meus non in perpetuum in homininibus contemnetur ſ. profanabitur[22]). Quemadmodum haec interpretatio probabilitate grammatica ſ. philologica minime deſtituitur (ſi quidem eam formae יָדַן explicationem ſuppeditat, quae neque litteras neque puncta mutari iubet, atque ea ſtirpe arabica nititur, quam voci hebraicae maxime cognatam eſſe ipſa litterarum indoles declarat) ita iis, quae ſequuntur, commode poteſt conciliari. Quanquam vero ipſe hanc rationem, quum prima vice commentationem meam ederem, ceteris omnibus praeferendam iudicaueram; mutaui tamen ſententiam meam, quum probe intellexerim, verba explicanda ſimplicius verti poſſe, interpretibus antiquis (vt ſupra vidimus) quodammodo praeeuntibus:

---

21) Idem argumentum, ab vſu loquendi antiquiore depromtum, obſtat interpretibus, qui ſub illo Iehouae ſpiritu prophetas intelligi voluerunt ſpiritu actos diuino.

22) cfr. Michaelis loco ſupra nota 16. laud. *Vater: Commentar über den Pentateuch, erſter Theil* p. 58. 59. *Gesenius: hebräiſch - deutſches Handwörterbuch, erſter Theil* p. 187.

ſpiritus meus non perpetuo in homine *infra* (in terra) verſabitur, i. q. homines diluuio perdam. Voculae obſcurioris בְּשַׁגַּם interpretatio antiquior, quae huic formae vim cauſalem tribuit, pluribus recentiorum interpretum parum probata eſt, qui de infinitiuo verbi שָׁגַג: errauit (v. c. Pſ. 119, 67.) cum praefixo ב et ſuffixo ם (ad ſignificationem collectiuam vocis אָדָם referendo) cogitare maluerunt: propterea quod illi errare (ſ. delinquere) ſolent[23]). Obſtat vero his interpretibus, quod partim, hac ratione probata, verba: בְּשַׁגַּם הוּא בָשָׂר (quae propius iungenda eſſe ipſa docet accentuum hebraicorum indoles) nexu mutuo deſtituuntur commodo, partim ipſe vſus verbi שָׁגַג (de errantibus potius, quam de iis, qui conſulto peccant, adhiberi ſoliti) ab hoc effato alienus eſſe videtur. (Profecto enim parum eſt probabile, Iehouam e ſententia ſcriptoris de diluuio terrae immittendo propterea cogitaſſe, quod homines viderit ad *errandum* pronos et procliues). Praeſtat, opinor, ad ſententiam redire antiquiorem[24]). Vocula בְּשַׁגַּם compoſita eſt ex duabus vocibus בְּשׁ (pro בַּאֲשֶׁר) et גַּם, ſequenti בָּשָׂר ſic nectenda: propterea quod etiam caro ſunt (carne conſtant). Quanquam enim alia nulla deprehendimus formae שׁ pro אֲשֶׁר poſitae ex-

---

23) cfr. B. Dathius et III. Roſenmüller in ſcholiis ad h. l.

24) cfr. *Gesenius hrbräiſch-deutſches Handwörterbuch, zweyter Theil*, p. 1114.

empla in antiquioribus[25]) Hebraeorum ſcriptis obuia, nolim tamen huic vni argumento nimium tribuere, inprimis, quum haec tota ſectio, ex qua locus, quem tractauimus, depromtus eſt, c. 6. v. 1—4. (vt probe vidit Geſenius l. l) ſermone ſuo ab aliis Geneſeos documentis haud parum diſcrepet. Neque voculam גַּם h. l. otioſam adparere dixerim. Immo, ni omnia me fallunt, ad ſubſtantiuum praegreſſum רוּחִי reſpicit, docetque Deus, ſe non diutius conceſſurum eſſe, vt halitus ſuus in terra verſetur in hominibus, *quippe qui etiam* carne conſtent (non tantum ſpiritu Iehouae gaudeant, ſed etiam corpore, cuius vſu ſpiritum illum profanare ſoleant[26]). Neminem fugit, vocem בָּשָׂר (plane vt graecum σαρξ in N. T. frequenter obuium) de corpore hominis ita adhiberi, vt notio inbecillitatis cuiusdam ſ. infirmitatis ei adhaereat, cui natura hominis ea ipſa de cauſa, quod eiusmodi corpore, quale noſtrum adpareat, vtatur, ſit obnoxia. (Pſ. 56, 5. 78, 39. Ierem. 17, 5.) Neque effata deſideramus, quae doceant, eam ad ſenſus et adfectus humanos (e corpore et ſenſibus oriundos) translatam eſſe, omnemque inperfectionem et inbecillitatem moralem, cuius veluti ſedes primaria in efficacia corporis quae-

---

25) Seriores Hebraeos ita dixiſſe dubio caret. cfr. Eccleſ. 1, 11. Canticum 1, 7.

26) Ita nihil eſt, quod nos h. l. ſignificationem huius particulae vulgarem et ſollennem relinquere iubeat.

renda sit (Eccles. 2, 3. 5, 5.). Quam quidem notionem vniuersam infirmitatis (praecipue moralis) in nostro quoque בָּשָׂר interpretando tenendam censeo. Non decet, inquit Deus Iehoua, halitum s. spiritum meum diu in hominibus versari, quippe qui, etsi halitu illo gaudent, simul tamen corpore vtuntur caduco, imbecilli, facinorum multorum (quae homines, sensibus et cupiditatibus indulgentes, corpore perficiunt) auctore. Proinde (pergit) וְהָיוּ יָמָיו etc. dies eius futuri sunt centum et viginti anni. Verba sunt ambigua, et per se spectata duplici modo explicari possunt, vel de termino centum et viginti annorum hominibus constituendo, quo elapso, nisi vitam emendauerint, diluuium iis immittendum sit, omnes (exceptis Noacho eiusque familia) perditurum, vel de tempore vitae singulorum hominum terminis angustioribus circumscribendo (hoc sensu: in posterum dies vitae singulorum hominum non excedent centum et viginti annos). Posterior ratio Ill. Vatero praeplacet, quippe qui totam sectionem c. 6. v. 1—4. iis, quae inde a v. 5. sequuntur (vbi de consilio exponitur, quod Iehoua ceperit, et Noacho nuntiauerit, hominis de terra exstirpandi) nulla omnino sententiarum serie cohaerere existimat[27]). Verum, quo diutius sectionem nostram iis, quae sequuntur, comparaui, eo certius mihi persuasum est, cum

27) cfr. *Vater Commentar über den Pentateuch, erster Theil*, p. 55. 58.

verba ſupra illuſtrata v. 3. הוא בשגם, tum, quae v. 4. de Gigantibus et heroibus (hominibus bellicoſis, validis, violentis) ex connubio filiorum των Elohim filiarumque hominum prognatis expoſita legamus, haud obſcure ad illud decretum reſpicere, quod Iehoua v. 5. ſeqq. cepiſſe dicatur, propter ſummam hominum peruerſitatem terrae diluuium immittendi. Proinde in ea, quae plerisque probata eſt, verborum והיו ימיו etc. interpretatione malim acquieſcere (nonniſi centum et viginti annos vitam eos producere patiar, ſ. terminum iis conſtituam centum et viginti annorum, quo elapſo, ſi porro deliquerint, exſtirpabuntur). Reſtat, vt paucis videamus, vtrum verba v. 3. ad ea reſpiciant, quae v. 1. et 2. legimus, an ita fuerint addita, vt narrationis antecedentis (de connubiis filiorum των Elohim filiarumque hominum) ratio nulla haberetur? Quodſi prius probatum fuerit, coniici omnino poſſit cum pluribus interpretibus, Deum Iehouam v. 3. (e ſententia illius ſcriptoris, cui haec narratio debeatur) animum exprimere aegre ferentem, quod, quum ii, qui filii eſſent Dei (ideoque Deo Iehouae cognatione quadam iuncti, eiusque naturae quodammodo participes) filias hominum vxores duxerint, ipſius natura in eiusmodi creaturis (caducis, imbecillibus, peruerſis), quales eſſent homines, verſetur, atque per eos profanari ſoleat[28]). Ingenue tamen profiteor, totius

28) cfr. Ill. Vaterus l. l. p. 58. 59. cuius verba haec ſunt: *da-*

vſ. 3. indolem mihi quidem non videri ita comparatam eſſe, vt ſatis commode eidem auctori vindicari poſſit, ex cuius manibus vſ. 1. et 2. fuerit profectus. Cuius dubitationis ratio duplex eſt, altera[29]) ab vſu vocabuli יְהוָה v. 3. obuii depromta, altera ab ipſa rerum expoſitarum indole et ſerie. Quemadmodum enim vſ. 4. (qui iterum filios τῶν Elohim commemorat) commati 1. et 2. egregie cohaeret, ita verſus 3. atque eorum, quae v. 5—8. ſequuntur (vbi copioſius docetur, Iehouam, quum mores hominum corruptiſſimos animaduertiſſet, conſilium cepiſſe orbi terrarum diluuium immittendi) nexus adparet luculentiſſimus. Verſus 3. (quo ſeries narrationis interrumpitur) omnino vna cum verbis, quae v. 5. ſeqq. le-

---

gegen ſteht unſer Vers zwiſchen zwey andern, in deren jedem von Verbindung der Söhne der Elohim mit den Töchtern der Menſchen die Rede iſt, und dieſem offenbaren Zuſammenhange iſt es angemeſſener, רוּחִי *für: göttlichen Geiſt, göttliche Natur, entgegengeſetzt dem* בָּשָׂר, *zu nehmen. Der göttliche Geiſt ſoll nicht für immer herabgewürdigt werden in den Menſchen.*

29) Lubentiſſime tamen largior, hoc vnum argumentum per ſe ſpectatum propterea non ſufficere, quod vocabulum אֱלֹהִים vſ. 2. non tam notioni Dei creatoris exprimendae inſeruire videatur, quam reliquas naturas in coelis verſantes innuere.

guntur (vbi Deus יְהוָה adpellatur) ex iis documentis, quae vſu vocabuli יְהוָה ab aliis diſcrepant, depromtus eſſe videtur. Verba v. 1. 2. 4. ex iis documentis deſumta putauerim, quae Deum frequenter אֱלֹהִים adpellant[30]). (Neque vero de conſilio, quo auctor collectionis horum documentorum poſt vſ. 2. comma noſtrum tertium, ex alio documento deſumtum, inſerendum putauerit, auſim iudicare. Certum dixerim, comma quidem 3. minus commode et apte hoc loco videri interpoſitum, auctorem vero collectionis horum effatorum, quum verſum 3. hic inſereret, pariter atque vſ. 4. de nexu quodam cogitaſſe, qui connubia illa filiorum των Elohim filiarumque hominum atque ſumma vitioſitatis humanae incrementa intercederet, atque docere voluiſſe, peruerſitatem humanam haud parum increuiſſe, ex quo proles illa ex filiis Elohim filiabusque hominum oriunda prodiiſſet). Nolim igitur cauſam, quare Iehoua v. 3. de termino vitae hominum conſtituendo cogitaſſe dicatur, ex iis repetere, quae vſ. 1 et 2. de connubiis illis filiorum Elohim filiarumque hominum fuerant expoſita, atque formulam: ſpiritus Iehouae, de natura Dei interpretari, cuius homines per illa connubia quodammodo participes redditi fuerint. Praeſtat, opinor, in noſtro quoque effato

30) cfr. Ill. Eichhorn: *Einleituug in das alte Teſtament, zweyter Band* (*Leipzig* 1803.) p. 339. 353. ſq.

explicando antiquissimam illam tenere huius phraeseos significationem supra illustratam, qua halitum Dei innuit, atque his verbis ex illo effato in antecedentibus vberius tractato Genes. c. 2. v. 7. (vbi Iehoua naribus hominis halitum vitalem inflasse dicebatur) lucem adfundere idoneam [31]). Postquam Deus cognouerat, halitum suum, quem hominibus contingere iusserat, haud parum profanari ac veluti pollui peruersitate hominum summa, ex corpore potissimum caduco et imbecilli oriunda (quae vitiositas e sententia auctoris, qui haec effata curauit colligenda, connubiis filiorum Elohim, filiarumque hominum haud parum increuerat) consilium cepit, nisi homines spatio centum et viginti annorum vitam emendaturi essent, omnes diluuio immittendo de terra exstirpandi. *Da sprach Iehova: mein belebender Hauch soll nicht auf ewig unten (auf der Erde, in Menschen) verweilen, denn sie bestehen auch aus Fleisch (sind schwache und sündliche Geschöpfe). Die Zeit ihrer Dauer sey nur noch hundert und zwanzig Jahr. (Auch*

---

31) Licet eo rectius effatum nostrum ex illo c. 2. v. 7. illustrare, quo certius est, ea documenta, in quibus vocabulum יהוה obueniat, haud pauca habere (siue ad verba respicias, siue ad sententias), quibus ad documentum illud c. 2. inde a v. 4. vsque ad finem c. 3. obuium (formula יְהוָה אֱלֹהִים insigne) propius accedat. cfr. Eichhorn l. l. P. 353.

hier also wird der belebende Hauch im Menschen als etwas von dem Körper verschiedenes, höheres, edleres, von Gott ausgegangenes dargestellt, was durch die aus dem Körper und der Sinnlichkeit entstandenen Sünden und Vergehungen entheiligt ward).

Commentatio Nona*).

Vindicatur authentia sectionis postremae euangelii Marci c. 16. v. 9—20.

*) Edidi hanc commentationem, ad dies festos memoriae nati Iesu Christi sacros rite celebrandos inuitaturus Ienae MDCCCXIII.

Quae vulgo ſub finem euangelii Marci (c. 16. v. 9—20.) deprehenditur, hiſtoria Jeſu Chriſti, vitae reſtituti, variis temporibus familiaribus ſuis atque diſcipulis apparentis, legatis ſuis prouinciam euangelii omnium gentium hominibus tradendi demandantis, auxilium ſingulare iisdem promittentis, denique in coelos redeuntis, Theologos quaeſtionibus criticis operam nauantes haud parum exercuit. Totius quippe ſectionis authentia cum defenſores ſtrenuos [1]),

1) Osiandri exercitatio, qua oſtenditur, duodecim poſtrema commata Marc. 16. extantia eſſe genuina, Tubingae, 1753. Richard Simon hiſtoire critique du texte du N. T. p. 114. ſqq. Fabricii codex apocr. N. T. T. I. p. 326. ſqq. Millii prolegomena in editione N. T. (Amſtelod. 1710.) p. 77. et 141. eiusdem notae ad h. l. Glassii philologia ſacra l. 1. tract. II. p. 162. ſq. (ex edit. quae Francofurti et Lipſiae 1691. prodiit). Wolfii curae ad h. l. V. Rosenmülleri ſcholia ad h. l. Storrii diſſertatio prima in librorum N. T. hiſtoricorum aliquot loca p. 50. ſqq. (eiusdem opuſculis

tum aduerſarios eandem argumentis et internis et externis vel omnino inpugnantes, vel in dubium certe vocantes [2]) nacta eſt. Vtrique quanquam in cauſa ſua defendenda argumentis vſi ſunt grauitate eximia haud quaquam deſtitutis, neque exiguum praeſtiterunt ingenii acumen, quaeſtionem arduam ac difficilem vlterius examinantes; vna tamen coniectura ab iis, qui recentius hac de re ſcripſerunt, neglecta eſt, quam amplexus equidem authentiam to-

---

academicis inſerta Vol. III. p. 50. ſqq.) Paulus *philologiſch-kritiſcher und hiſtoriſcher Commentar über die drey erſten Evangelien, dritter Theil* (*Lübeck*, 1805.) p. 915. ſqq. Evangelium ſecundum Marcum graece et latine ex codicibus nunquam antea collatis edidit et animaduerſiones adiecit Christ. Frieder. Matthaei, Rigae 1788. p. 266. ſqq. Kuinoel commentarius in libros N. T. hiſtoricos Vol. II. p. 188. ſqq. Eichhorn *Einleitung in das N. T.* Vol. I. p. 576. ſqq. Huo *Einleitung in die Schriften des N. T.* Vol. II. p. 192. ſqq. Feilmoser *Einleitung in die Bücher des neuen Bundes* (*Insbruck* 1810.) p. 82. ſqq.

2) Michaelis *Erklärung der Begräbniſs- und Auferſtehungsgeſch. Chriſti* p. 179. Teller: *neues Magazin für Prediger* Vol. III. Faſcic. I. Bolten: *der Bericht des Markus von Ieſu dem Meſſia* p. 266. ſqq. Thiess *neuer kritiſcher Commentar über die drey erſten Evangelien*, Vol. II. p. 222. Griesbachii commentarius criticus in textum graecum N. T. particula II. p. 197. ſeqq. Gratz *neuer Verſuch die Entſtehung der drey erſten Evangelien zu erklären* (*Tübingen* 1812.) p. 52. ſeqq. Berthöldt *hiſtoriſch-kritiſche Einleitung in ſämmtliche kanoniſche und apokryphiſche Schriften des A. und N. T.* Vol. III. (*Erlangen* 1813.) p. 1284. ſqq.

tius sectionis (quam ipse olim spuriam censui) ita tueri posse mihi videor, vt difficultates euanescant, quae plures mouerint, vt negarent, totum locum a Marco esse profectum. Itaque meam de origine illius sectionis sententiam, oblata hac scribendi opportunitate, in medium proferre constitui, ponderandis iis, quibus authentia eius vel inpugnata vel defensa est.

I.

Quod primum quidem argumenta *externa* attinet, concedunt omnes, haud exiguam esse et copiam et grauitatem eorum testium, qui Marco illam euangelii clausulam pariter atque reliquum commentarium totum vindicent. Exhibent enim (praeter vnum codicem Vaticanum) sectionem, de qua agitur, codices, quos habemus, omnes et antiquiores et iuniores, qui ad familias diuersissimas pertinent, itemque euangelistaria, etiam antiquiora cum synaxariis [3]). Deprehenditur eadem in versionibus an-

---

3) Cfr. notae criticae in editionibus Wetstenii et Griesbachii, itemque Matthaei animaduersio ad Marci 16, 9. ff. in editione Marci supra nota 1. commemorata. Testatur insuper Matthaei in editione N. T. recentius adornata, cuius tomus primus Viteb. 1803. prodiit, p. 291. ex iis (vndecim) codicibus, quos ipse post primam editionem in euangeliis examinauerit, nullum hanc sectionem omittere.

tiquis omnibus[4]). Agnoſcunt eam IRENAEUS (l. 3. adverſus haereſ. c. 11.), ATHANASIUS (in ſynopſi ſcripturae diuinae, in ſumma euangelii ſecundum Marcum), TATIANUS et AMMONIUS in harmoniis, AUGUSTINUS (de conſenſu euangeliſtarum l. 3. c. 24.), CHRYSOSTOMUS (qui in homilia in aſcenſionem Domini, quae in eius operibus a Montfauconio editis T. III. Pariſ. 1721. legitur p. 765. Marci 16, 19. laudat), BEDA (comment. l. 4. ex.), Theophylactus in comment. aliique plures ex antiquis eccleſiae ſcriptoribus apud WETTSTEN. et GRIESB. laudati. Ex Irenaeo et Clemente Alex. diſcimus, ſectionem illam ante finem Saec. II obuiam fuiſſe in codicibus, patetque ex libro apocrypho, qui dicitur euangelium Nicodemi, auctori huius euangelii ſaec. II. viuenti pericopen noſtram innotuiſſe. (cfr. *Brunn* disquiſitio hiſtorico-critica de indole, aetate, et vſu libri apocryphi vulgo inſcripti: euangelium Nicodemi, Berolini, 1794. 8. p. 102.) Licet item probabiliter coniicere, Celſum, quum (apud Originem l. II. contra Ceſum §. 70.) Jeſum vitae reſtitutum vni tantum mulierculae eidemque παροιστρω apparuiſſe diceret, ad Marci 16, 9. reſpexiſſe. Negauit quidem Origenes, ſcriptum hoc extare in euangelio (l. I. §. 60.) Recte, opinor. Verba quippe Marci c. 16. v. 9. ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια ad rem geſtam dudum praeteritam ſpe-

4) Vna verſio ARMENA in vno certe exemplari mſcr. ſectionem illam a reliquo textu ſeparauit. cfr. GRIESB. notae critt. eiusdemque comment. crit. partic. II. p. 201.

ctant, nec docent, mulierem illam eo tempore, quo Ieſum conſpiceret vitae reſtitutum, fuiſſe παροιστρον. Neque vero aduerſariis teſtimonia deſunt externa, quae authentiam huius pericopae omnino dubiam reddere poſſint atque ſuſpectam. Etenim a) tota ſectio in codice Vaticano (apud Griesb. littera B. notato), admodum antiquo et praeſtanti deſideratur [5]). b) Alios quoque codices plures, qui ad noſtram aetatem omnino non peruenerint, eandem omiſiſſe teſtimoniis conſtat luculentiſſimis. Haud pauci eorum, quos habemus, codicum (apud Wettsten. Birchium loco in nota laudato et Griesb. notati) huic ſectioni ſcholia addunt, quae docent, defuiſſe eam in pluribus aliis libris mſſ. Addicit huic teſtimonio, quod Gregorius Nyſſenus (in orat. II. de reſurr. Chriſti) ſ. auctor huius orationis, quae vulgo Gregorio tribuitur, perhibet: ἐν μὲν τοῖς ἀκριβεστέροις ἀντιγράφοις, τὸ κατὰ Μάρκον εὐαγγέλιον μέχρι τοῦ, ἐφοβοῦντο γάρ, ἔχει τὸ τέλος. Vlterius progreditur Hieronymus in quaeſt 3. Opp. T. 3. p. 96. vbi haec leguntur: „quae cauſa ſit, vt de re„ſurrectione Domini et apparitione Euangeli„ſtae diuerſa narrauerint, in quibus primum „quaeris, cur Matthaeus dixerit (28, 1.) *veſpere* „*autem ſabbati* etc. et Marcus (16, 9.) *cum autem* „*reſurrexiſſet*; huius quaeſtionis duplex ſolutio „eſt. *Aut enim non recipimus Marci teſtimonium,*

5) Cfr. quatuor euangelia graece a Birchio edita p. 516. et prolegg. p. XXI.

„*quod in raris fertur euangeliis, omnibus Grae-*
„*ciae libris paene hoc capitulum in fine non ha-*
„*bentibus*, praesertim cum diuersa atque con-
„traria euangelistis ceteris narrare videatur; aut
„hoc respondendum, quod vterque verum dixe-
„rit; Matthaeus, quod Dominus surrexit vespe-
„ra Sabbati, Marcus autem, quando eum vi-
„derit Maria Magdalene, i. e. mane primo Sab-
„bati.“ Addere licet effatum Victoris Antio-
cheni (in catena Victoris obuium Volum. II.
p. 120. 21. ex edit. Mosquensi, quam Matthaei
adornauit), qui *plerosque codd.* sectionem illam
non habuisse adfirmat[6]), atque Seueri Antio-
cheni, in concordantia euangelistarum apud
Montfauconium bibliothecae Coislinianae P. I.
p. 74. obseruantis, exemplaria accuratiora in
verbis v. 8. ἐφοβοῦντο γαρ desinere. c) In duo-
bus eorum, quos habemus, codicum biblio-
thecae Vatic. (apud Griesb. n. 137. 138. signa-
tis) pericopae nostrae asterisci sunt adpositi[7]).
d) Vnus ex codicibus regiis (apud Wettsten.
et Griesb. littera L. signatus) et versio Syriaca
posterior in margine notant, post verba v. 8.
ἐφοβοῦντο γαρ in nonnullis exemplaribus haec
ferri: πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον
συντόμως ἐξήγγειλαν. μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ὁ ἰησοῦς

6) Vd. Matthaei in editione Marci nota 1) laudata p. 269.

7) Vtrum codex littera g. signatus, cuius fragmentum Matthaei contulit, sectionem c. 16. v. 9. sqq. olim exhibuerit an omiserit, non liquet. Vd. Matthaei in edit. Marci laud. p. 260. sqq.

ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας. Teſtante vero eodem codice L. in aliis codd. loco illius additamenti: πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα etc. alia legebatur euangelii clauſula (eadem, quae vulgo inde a v. 9. in noſtris editionibus adparet). e) Euſebius, Coryphaeus ille criſeos ſacrae celeberrimus, quae c. 16. inde a v. 9. ad finem vsque leguntur, iudicauit ſpuria. Extat quippe ſcholion Euſebii, (a Matthaeio in editione catenae Victoris p. 208. prolatum): κατὰ Μάρκον μετὰ τὴν ἀνάστασιν οὐ λέγεται (ἰησοῦς) ὤφθαι τοῖς μαθηταῖς, quod ſatis aperte monſtrat, negaſſe eum authentiam huius ſectionis (v. 14. perſpicue teſtantis, apparuiſſe Jeſum vitae reſtitutum vndecim apoſtolis recumbentibus). Proinde Euſebius, perhibente ſcholio in tribus codd. obuio (apud Griesb. n. 1. 206. 209. ſignatis) iis, quae poſt verba v. 8. ἐφοβοῦντο γαρ leguntur, in ſuis canonum tabulis locum omnino nullum aſſignauit. Confirmant huius ſcholii auctoritatem alii codices, in quibus numeri illi ſectionum monoteſſari Ammoniani, quos Euſebius textui harmoniae ſuae adpoſuerat, vltra 233um, ad comma 8. pertinentem, non procurrunt.[8]) Praeterea Euthymius Zigabenus teſtatus eſt, inter-

8) Suppoſititios eſſe illos ſectionum Euſebianarum numeros, ad commata ſequentia pertinentes, qui in aliis codd. apparent, atque iam in ipſis canonum tabulis occurrant, docuit Binchius in prolegomm. p. XXII. atque in ipſa edit. T. II. p. 516. 17. Add. quae ſcite obſervat Storrius in comment. nota t. laud. p. 55. ſeqq.

pretes quosdam totum locum verba ἐφοβ. γαρ excipientem iudicasse spurium[9]).

En, testes criticos ab vtraque parte concertantes! Quanquam testimonia ab iis excitata, qui negant, sectionem, de qua agitur, a Marco esse profectam, omnino ita sese habent, vt authentia totius pericopae dubia videri possit atque suspecta, facile tamen singulis omnibus accurate ponderandis intelligimus, neminem posse (nisi quis criticum iusto audaciorem se gerere voluerit) hanc sectionem propter solas rationes externas, modo commemoratas, certo pronuntiare spuriam. Neque eadem est testimoniorum illorum omnium vis et grauitas. Ad authentiam sectionis nostrae in dubium vocandam prae ceteris valet, quod partim in codice Vaticano (praestantia singulari et antiquitate conspicuo) omnino desideratur, partim Eusebius agnoscere eam noluit. Reliqua sunt leuiora, neque negari potest, maiorem apparere eorum testium *copiam* qui totum locum Marco vindicauerint. Codici quippe Vaticano locum nostrum plane omittenti, codici L. duplicem euangelii clausulam exhibenti, neque vero authen-

---

9) Dicit ille (in commentario ad quatuor euangelia T. II. edit. Matthaei, Lipsi. 1792. p. 183.) φασὶ δε τινες τῶν ἐξηγητῶν ἐνταῦθα συμπληροῦσθαι τὸ κατὰ Μάρκον εὐαγγέλιον τὰ δε ἑφεξῆς προσθήκην εἰναι μεταγενεστέραν. — Nullam omnino vim habere argumentum, quod nonnulli a silentio *Origenis* petierint, probe iam alii intellexerunt. Nullos quippe habemus *Origenis* in Marcum commentarios.

tiam vel vulgaris vel illius rarioris clausulae confirmanti, iisque duobus libris mss. qui locum asterisci notant, opponere licet (vt supra vidimus) consensum reliquorum omnium, qui superstites sunt, codicum, et versionum antiquarum sectionem illam exhibentium. Quodsi authentiae eius aduersarii ad testimonia illa supra commemorata prouocant, quae docent, alios codd. plures, qui ad nostram aetatem non peruenerint, pericopen totam omisisse; eodem iure, qui hunc locum Marco vindicant, ad eadem codicum scholia possunt prouocare, quae simul adfirmant, pericopen nostram in aliis codd. permultis iisque accuratis (in euangelio potissimum Palaestinensi) lectam esse [10]). Neque

---

10) Cfr. Griesbachii notae critt. ad h. l. Birchius in edit. quatuor euangeliorum T. II. p. 316., vbi (ex pluribus codd.) hoc scholion adfertur: παρὰ πλείστοις ἀντιγράφοις οὐ κεῖνται ταῦτα τὰ ἐπιφερόμενα ἐν τῷ κατὰ Μάρκον εὐαγγελίῳ, ὡς νόθα νομίσαντες αὐτά τινες εἶναι; ἡμεῖς δὲ ἐξ ἀκριβῶν ἀντιγράφων, ὡς ἐν πλείστοις εὑρόντες αὐτὰ, κατὰ τὸ παλαιστιναῖον εὐαγγέλιον μάρκου, ὡς ἔχει ἡ ἀλήθεια, συντεθείκαμεν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ ἐπιφερομένην ὀεσποτικὴν ἀνάστασιν, μετὰ τὸ ἐφοβοῦντο γάρ. Idem testatur Victor Antioch. (cfr. Victoris catena ed. a Matthaeio Vol. II. p. 120. 21.). Vtrum verba illa partim in scholio laudato, partim apud Victorem l. l. obuia: κατα το παλαιστιναιον ευαγγελιον, de singulari quodam codice huius euangelii Palaestinensi (cfr. Ill. Paulus loco nota I. laud.) an de ipsius Marci autographo, quod in Palaestina fuerit (vt b. Storrio visum est in comment. laud. p. 51. in nota) explicari debeant, equidem non ausim accuratius decernere. Quanquam mihi persuasum habeo, verba allata in hac orationis serie non posse nisi vel

iis obstat, quod Hieronymus (vt supra monui) aperte testatus est, fere omnes Graeciae libros sectione illa caruisse. Etenim, quum idem Hieronymus alio loco (dial. aduersus Pelag. c. 15.) additamenti (haud dubie spurii) quod Marci c. 16 v. 14. in libris quibusdam apparet, his verbis mentionem fecerit: *in quibusdam exemplaribus, et maxime in graecis codicibus iuxta Marcum in fine eius euangelii scribitur: postea quum accubuissent vndecim, apparuit iis Jesus et exprobrauit incredulitatem* etc. patet inde, quo iure plures viri docti illa Hieronymi verba: *omnibus Graeciae libris paene hoc capitulum in fine non habentibus* vrgenda esse negauerint[11]). Additamentum, quod loco vulgaris clausulae post v. 8. in codice L. et versione Syr. poster. in margine exhibetur, id vnum probat, librarios plures euangelium describentes, quum in codicibus suis clausulam nullam post v. 8 deprehendissent, euangelium hoc additamento locupletasse[12]). Praeter Eusebium nemo fuit inter

---

de codice quodam, vel de autographo Marci commode intelligi. Coniecit quidem Cel. Hugius: (*Einleitung* etc. Vol. II. p. 195.) codices intelligi ad recensionem quandam Origeni propriam (quam Palaestinensem appellat) pertinentes. Sed vd. quae b. Griesbach. in comment. crit. partic. II. p. 58. sqq. huic coniecturae de singulari textus recensione Origeniana oppositae.

11) Vd. Storrii comment. laud. p. 53. Hug: *Einleitung* etc. Vol. II. p. 193.

12) Additamentum laudatum omnino esse spurium, nemo fa-

ſcriptores eccleſiae veteris celebriores, qui clauſulam Marci aperte pronuntiaret ſpuriam. Gregorius quippe Nyſſenus quanquam pericopen noſtram in pluribus codd. bonis deeſſe teſtatus eſt, idem tamen docuit, ſectione illa explicanda ſoluendisque difficultatibus nonnullis in eadem obuiis, non omnino ſibi exploratum eſſe, vtrum Marco, an ſcriptori cuidam ſeniori vindicanda ſit [13]). Victor Antioch. ſupra laudatus pericopen Marco vindicari maluit, quam ſuppoſititiam cenſeri [14]) Neque Euthymius Zigabenus ſectionem dubiam aperte damnare auſus eſt [15]).

In promtu eſt, ſolis teſtimoniis, quae ab vtraque parte excitata ſunt, audiendis atque examinandis non poſſe controuerſiam de authentia ſectionis dirimi. Agedum, videamus, vtrum de omiſſione eius arbitraria in codicibus mature facta, an de conamine, hac pericope addenda lacunam aliquam Marte proprio ex-

---

cile negaturus eſt, quum neque auctoritate externa gaudeat idonea, neque verba (illa potiſſimum: το ιερον και αφθαρτον κηρυγμα της αιωνιου σωτηριας) elocutioni Marci congruere videantur.

13) Cfr. Millius in prolegomenis N. T. p. 77.

14) Quod patet ex loco Victoris apud Matthaeium in editione catenae Victoris Volum. II. p. 120. 21.

15) Verbis enim ſupra commemoratis ipſe haec addit: χρὴ δὲ καὶ τάυτην ἑρμηνεῦσαι μηδὲν τῇ ἀληθείᾳ λυμαινόμενον.

plendi (siue veram, siue, quae adesse visa fuerat) facilius liceat cogitare? Quodsi in ipsam historiam inquirimus his postremis euangelii Marci commatibus inde a v. 9. comprehensam, intuentibus nobis totius pericopae initium primo quidem obtuitu sponte se aliquid offerre videtur, quo plures euangelii lectores atque librarii antiquitus moueri potuerint, vt de sectione illa cogitarent expungenda. Obueniunt enim, quae ab historia resurrectionis Christi, qualem ceteri euangelistae exposuerunt, discrepare videantur. Matthaeo quippe testante (c. 28. v. 1. sqq.) Maria Magdalensis, et altera Maria (Iacobi mater) ὀψὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων (i. e.[16]) *finito Sabbatho, quum prima hebdomadis dies illuceſceret*) quum sepulcrum Christi adiissent, nuntium Domini (ἄγγελον κυρίου) ibi deprehenderunt, ipsas certiores reddentem, Christum iam in vitam rediisse. Sequitur inde, Christum sepulcro exiisse, *anteaquam* prima hebdomadis dies illuceſceret. His plane consentit, quod Marcus c. 16. V. 1 sqq. perhibet, Mariam Magdalensem, Mariam Iacobi matrem, atque Salomen λίαν πρωΐ τῆς μιᾶς σαββάτων ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου (primo diluculo primi hebdomadis diei, sole orituro) sepulcrum adiisse, ibique per iuuenem

---

16) ὀψὲ σαββατων h. l. i. q. διαγενομένου σαββάτου (apud. Marcum 16, 1.) Prius σαββατα diem Sabbati (festum ac solennem) posterius hebdomadem innuit. Verba: τῇ ἐπιφωσκούσῃ (ἡμέρᾳ) εἰς μίαν σαββ. (i. q. ἐν μιᾷ σαββ.) accuratius definiunt illud ὀψε σαββ. cfr. S. V. Kuinoel ad h. l.

in ſepulcro ad dextram ſedentem, veſte candida indutum, nuntium accepiſſe de Chriſto vitae iam reſtituto[17]). Iam vero ſectio euangelii poſtrema (c. 16. v. 9.) his verbis incipit: ἀναστὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτου ἐφάνη πρῶτον μαρίᾳ τῇ μαγδαληνῇ, ἀφ ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια. Nonne, quum Ieſus h. l. πρωῒ πρώτῃ σαββάτου (mane primo hebdomadis die) in vitam dicatur rediiſſe, tollitur, quod partim ex commentariis ceterorum euangeliſtarum, partim e loco ipſius Marci (16, 1. ſqq.) cognouimus, Chriſtum, priusquam dies illuceſceret, ſepulcro exiiſſe? Minime vero. Omnia bene ſe habent, ſi modo illud πρωῒ πρωτῃ σαββάτου verbo ἐφάνη potius iungatur quam participio ἀναστὰς (commate, ſi quis hanc interpretandi rationem interpungendo declarare voluerit, poſito poſt ἀναστὰς δὲ): *Poſtquam Ieſus in vitam redierat, mane primo hebdomadis die primum apparuit Mariae Magdalenſi, e qua ſeptem daemones eiecerat.*[18]) Verum enimuero haud pauci exſtite-

---

17) Idem teſtati ſunt Lucas 24, 1. et Joannes 20, 1. qui mulieres illas ad ſepulcrum Chriſti profectas eſſe dicunt ὄρθρου βαθέος (primo diluculo) et σκοτίας ἔτι οὔσης (i. e. quum tenebrae nondum omnino diſſipatae eſſent).

18) An forte dicamus, voculam πρωῒ v. 9. non vrgendam eſſe, ſed de tempore intelligendam, quod primum diluculum proxime praeceſſerit? Probauit hanc rationem auctor doctiſſimus obſeruationum, de hoc programmate meo ſcriptarum, quae inſertae leguntur diario: *kritiſches Journal der neueſten theologiſchen Litteratur von Ammon und Bertholdt.*

runt, qui cauſam, quare ſectio illa antiquitus in codicibus pluribus conſulto omitti potuerit, inde peterent, quod haud pauci lectores et librarii de verſu 9. c. 16. ceteris euangeliorum locis conciliando deſperauerint. Quae quidem coniectura effatis quibusdam ſcriptorum eccleſiae antiquioris excitata eſt. Hieronymus enim, quanquam probe vidit, verba v. 9. ita poſſe explicari, vt ceteris effatis huc ſpectantibus conſentiant (loco ſupra prolato ex Hieron. quaeſt. 3. opp. T. 3. p. 96.) ipſe tamen conceſſit, authentiam totius pericopae haud inepte in dubium vocari, *praeſertim quum diuerſa atque contraria euangeliſtis ceteris narrare videatur.* Accedit, quod apud Gregorium Nyſſenum (loco ſupra laud.) et Victorem Antiochenum (loco ſaepius commemorato) eiusdem difficultatis Marci 16, 9.

Vierten Band 2. Stück. Salzbach 1816. Obſtat, opinor, quod Marcus, quum tempus, quo mulieres illae ad ſepulcrum profectae fuerint, v. 2. ſatis accurate verbis λίαν πρωΐ definiiſſet, minime v. 9. minus diligenter ſcripſiſſe exiſtimandus eſt, et ſatis aperte docuit, Chriſtum eo tempore, quo denſae eſſent tenebrae, in vitam rediiſſe. Interpretationi meae ſupra propoſitae obiecit quidem auctor doctiſſimus obſeruationum laudatarum, Ieſum tempore illo matutino *vni tantum* Mariae Magdalenſi apparuiſſe (ſiquidem duo illi diſcipuli v. 12. commemorati veſpertino demum tempore Ieſum conſpexerint) ideoque Marcum ſcribere non potuiſſe: *mane primum* apparuit Mariae Magdalenſi. Nonne vero Marcus, breuitate ſermonis vſus, duo potiſſimum complecti potuit, a) Mariam illam *omnium*, quibus Seruator vitae reſtitutus apparuerit, fuiſſe primam, b) *matutino tempore* eam Chriſtum conſpexiſſe?

obuiae pariter atque eiusdem rationis difficultatem omnem expediendi, quam supra commendauimus, mentio facta est. Ingenue tamen profiteor, mihi quidem parum probabile videri, scriptores vett. atque librarios *sola hac difficultate obseruanda* impelli potuisse, vt *totam pericopen* expungerent. Eiusmodi audacia (profecto temeraria) omnino (si pauciſſimos, vt Marcionem, exceperis) abhorret ab ingenio ac indole antiquiorum saeculorum ecclesiae Christianae. Neminem fugit, alia loca in euangeliis nostris haud pauca deprehendi, quae, etsi historiae euangelicae locis parallelis obuiae repugnare videantur, minime tamen hac de causa in codd. antiquis omissa ac deleta fuerint. Putabimusne, illam verborum v. 9. interpunctionem atque explicationem, cuius ope haec ρησις ceteris euangeliorum effatis absque vlla difficultate conciliari possit, cuiuis interpreti facile in promtu positam, neque antiquis ecclesiae scriptoribus (vt ex Hieronymo et Gregorio Nyss. patet) incognitam, ita latuisse plures Christianorum veterum, vt nodum violenter dissecare mallent, eradenda tota sectione, quam interpretando soluere? Quodsi, neglectis aliis omnibus difficultatis tollendae praesidiis, medelam criticam huic loco adhibere decreuissent, acquiescere omnino potuissent in commate nono immutando, neque opus fuisset, *totam* pericopen (plura complectentem satis grauia et memoratu digniſſima) expungere [19]). Neque

19) Adsentientem mihi hac in re habeo Griesbachium com-

vllo ſcriptorum vett. teſtimonio aut exemplo demonſtratur, duodecim poſtrema euangelii Marci commata *propterea* deleta eſſe, vt difficultas illa euaneſceret. Ipſe Hieronymus, qui l. l. authentiam ſectionis dubiam pronuntiauit atque ſuſpectam, minime in ſola[20]) difficultate ad v. 9. pertinente commemoranda acquieuit, ſed ante omnia monuit, deſiderari eam in multis codicibus graecis. Nequaquam igitur authentiam pericopae cenſuiſſet dubiam, niſi eandem iam deſideraſſet in pluribus codicibus. Idem valet de aliis ἐναντιοφανείαις, quae in pericope noſtra deprehenſae ſunt. Apud Marcum quidem c. 16. v. 9. ſola Maria Magdalenſis commemoratur, quae Ieſum vitae reſtitutum conſpexerit. Apud Matthaeum c 28. v. 9 vtrique Mariae, et Magdalenſi, et matri Iacobi apparuiſſe, eas ſalutaſſe, ab iis adoratus eſſe dicitur. Sed grauior profecto ea apparet diſcrepantia, qua Lucas et Ioannes a Matthaeo differunt, quum ille quidem c. 24 prorſus taceat, mulieres illas Ieſum ipſum vitae reſtitutum con-

---

ment. crit. partic. II. p. 203. ſq.) et GRATZIUM in libro in nota 2. laud.

20) Pariter Victor Antioch. l. l. etſi confitetur, poſſe aliquem ad expediendam difficultatem illam eo confugere, vt vulgarem euangelii clauſulam, *non in omnibus* exemplaribus obuiam, ſuppoſititiam iudicet, atque *nonnullos* (τινὲς) vere ſpuriam iudicaſſe, minime tamen docuit, hanc fuiſſe cauſam omiſſionis in pluribus exemplaribus factae, quod alia ratione nulla Marcum ceteris hiſtoriae Chriſti ſcriptoribus conciliari poſſe exiſtimauerint.

ſpexiſſe, hic vero c. 20. ſolam Mariam Magdalenſem ſepulcrum Chriſti adiiſſe, et poſtea cum Seruatore reſuſcitato colloquutam eſſe perhibeat. Neque vero librarii veteres propterea de ſectionibus illis Lucae et Ioannis interpolandis, immutandis, eradendis cogitarunt[2]). Porro apud Lucam quidem c. 24. v. 34. ſq. vndecim Apoſtoli veritatem reſurrectionis Chriſti agnouiſſe dicuntur, quo tempore diſcipuli Emmauntici Seruatorem rediuiuum iis nuntiarent. In noſtra Marci pericope c. 16. poſtquam v. 12. diſcipuli illi Emmauntici paucis commemorati fuerant, v. 13. haec adduntur: Κἀκεῖνοι ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς· οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν: *qui quanquam et ipſi reuerſi ceteris nuntiaruut, tamen ne his quidem crediderunt.* Verum, ſi quis ſermonem vitae communis (qualem ſcriptores euangeliorum adhibuerunt), haud raro vniuerſe pronuntiantem, quae de aliqua tantum parte intelligenda ſunt, probe cognouerit, facile nobis adſentietur, neque, quae apud Lucam vndecim apoſtoli eorumque comites loquuti eſſe perhibentur (ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως), ne-

---

21) Quaenam viri docti de cauſis huius diſcrepantiae itemque de ſcriptoribus illis hac in re conciliandis acute coniecerint, longum foret h. l. accuratius perſequi. Cfr. Io. Gerhardi commentarius in harmoniam hiſtoriae euangelicae de reſurrectione et aſcenſione Chriſti, Jenae, 1617. cap. II. Michaelis in libro in nota 2. laud. p. 149 ſqq. p. 147. Griesbachii programma de fontibus, vnde Euangeliſtae ſuas de reſurrectione Domini narrationes hauſerint, Jenae, 1783.

que, quod apud Marcum non credidisse dicuntur, ad *omnes omnino* referentibus[22]). Alii eorum fidem habuerunt, alii denegarunt. Denique in nostra pericope v. 14. Seruator *vndecim* apostolis apparuisse dicitur. Secundum Ioannem (20, 19—24) nonnisi *decem* congregati fuerant, Thoma illo tempore absente. Solebat vero notio collegii Apostolorum post obitum Iudae Cariotensis simpliciter formula οι ενδεκα exprimi. Summum omnino breuitatis studium in hac sectione postrema conspicuum facit, vt pleraque obiter potius delineata videamus, quam accurate et sedulo exposita. Quae quum ita sint, persuadere mihi nequeo, causam probabilem *omissionis* huius *totius* loci *arbitrariae* ex difficultatibus nonnullis et εναντιοφανειαις, quae in hac pericopa obueniant, *solis*[23]) posse repeti (etsi lubenter largiar, *plures forsan librariorum atque interpretum veterum, quum hanc pericopen in exemplari suo, pluribusue codicibus collatis desiderassent, sectionem, quae his testimoniis externis iam suspecta fuisset reddita, propterea citius,*

---

22) Cfr. S. V. Kuinoel et Paulus ad h. l.

23) Multo minus probabilem putauerim coniecturam, quae Mill.io (in edit. N. T. Vol. I. pag. 118.) et aliis arrisit, totam sectionem propterea consulto esse deletam, quod spuria agnita fuerint verba (vere spuria) quae in nonnullis codd. graecis (teste Hieron. dial. 2. aduersus Pelag.) v. 14. legebantur: et illi satisfaciebant dicentes: saeculum istud iniquitatis et incredulitatis substantia est, quae non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem; idcirco iam nunc reuela iustitiam tuam.

et facilius, quam alia eiusmodi loca, tanquam ſpuriam reieciſſe, quod inſuper in ea animaduertiſſent, quae ab hiſtoria in ceteris euangeliſtarum commentariis expoſita diſcrepare viderentur).

An forte, qui negant, Marcum fuiſſe huius poſtremae ſectionis auctorem, facilius explicare poterunt, *vnde tandem haec pericope mature exſtiterit* in codicibus? In promtu eſt, eiusmodi additamenti arbitrarii rationem idoneam omnino nullam cogitari poſſe, niſi ſumamus, eos, qui antiquitus euangelio Marci hanc pericopen adiecerint, quum poſt verba v. 8. ἐφοβοῦντο γαρ clauſulam euangelii deſideraſſent, (ſiue Marcus ipſe, morte inpeditus, euangelio finem non impoſuiſſet, ſiue clauſula a Marco addita vel in ipſo eius autographo, vel in codicibus primis caſu quodam periiſſet) de hac lacuna ſupplenda cogitaſſe. Reſtabat quippe poſt v. 8. vt paucis doceretur, quomodo familiares Chriſti ac diſcipuli vere cognouerint, eum in vitam rediiſſe, et, quaenam Seruator vitae reſtitutus porro fecerit ac dixerit. Attamen, quo minus originem pericopae noſtrae hac ratione ſatis probabiliter explicari cenſeamus, argumenta inpediunt plura. a) Si quis hoc egiſſet, vt clauſulam euangelio adderet eamque Marco ſupponeret, totam hiſtoriam, quae inde a v. 9. ſequitur, haud dubie ita contexuiſſet, vt narrationibus ceterorum euangeliſtarum (Matthaei potiſſimum atque Lucae) amiciſſime conſentiret, neque vlla appareret diſcrepantiae cuiusdam ſpecies, quae lectores haeſitantes reddere poſſet atque dubitantes. Quid enim, quaeſo,

profuiſſet, loca inſerere, quae, etſi effatis aliorum euangeliſtarum (vt ſupra vidimus) nequaquam vere contradicerent, iisdem tamen repugnare *viderentur*, et harmoniam euangelicam difficultatibus variis inplicarent [24])? b) Quum

24) Negauit quidem B. Griesbach. in comment. crit. particula II. p. 204. hoc argumentum recte opponi iis, qui anthemiam pericopae noſtrae inpugnauerint. „Scite, ait, hoc „moneretur, ſi tertio ac quarto demum ſaeculo, quo de „euangeliorum concordantia et diſſonantia multum diſputa„tum fuit, Marcus illa clauſula fuiſſet auctus. Sed extitit „ea iam ante ſecundi ſaeculi finem, hoc eſt, tempore, quo „nondum valde ſolliciti erant de euangeliorum harmonia „Chriſtiani, quorum paucos quatuor euangeliis ſimul vti „tunc potuiſſe credibile eſt. Nam de Tatianei opuſculi, „quod διὰ τεσσαρων nuncupabatur, ratione ac indole non „ſatis nobis conſtat.“ Equidem contra perſuaſum mihi habeo, eccleſiam Chriſtianam omnino ſatis mature, quum tria certe euangelia priora, aut duo eorum innotuiſſent, de harmonia quadam cogitare debuiſſe hiſtoriae euangelicae. Atque ita vere factum eſſe, ipſa, opinor, harmonia Tatiani (qui Saec. II. medio floruit) argumento probat minime contemnendo. Quanquam enim fuerunt, qui Tatianum euangelium ſingulare ſcripſiſſe, aut librum ſuum ex euangeliis apocryphis compoſuiſſe coniicerent (cfr. Eichhorn *Einleitung in das N. T.* Vol. I. p. 110. ſqq.) ſententia tamen vulgo recepta, quae illud διὰ τεσσαρων Tatiani harmoniam fuiſſe ſtatuit ex noſtris quatuor euangeliis canonicis adornatam, partim effatis quibusdam ac teſtimoniis ſcriptorum vett. ad Tatianum, ipſius euangelium, ſectamque Seuerianorum ſpectantibus, partim veſtigiis in ipſa Tatiani oratione contra Graecos obuiis recte defenditur. Cfr. Feilmoser *Einleitung in die Bücher des N. B.* p. 161. ſqq. Huc *Einleitung*

in ceteris partibus euangelii Marci nihil ex iis obueniat, quae commentarium Ioanneum a ceteris distinguunt euangeliis, non video, quomodo interpolatori, hanc pericopen scribenti, in mentem venire potuerit, commate nono (ea continente, quae, vt supra vidimus, ab historia apud Matthaeum exposita discrepare videntur) narrationem suam Ioanneo accommodare euangelio [25])? Nonne Matthaeum potius, cuius euangelio libellum Marci aliis locis permultis

---

etc. Vol. I. p. 45. sqq. Schütz dissertatio critica de euangeliis, quae ante euangelia canonica in vsu ecclesiae Christ. fuisse dicuntur, Regiomonti, 1812. in parte poster. p. 18. sqq. Ceterum ipsa indoles eorum, quae Marci c. 16. v. 9. vsque ad finem exposita leguntur, non permittit, vt scriptorem, qui euangelium Marci hoc additamento locupletasse existimetur, alios libros N. T. historicos non consuluisse, neque omnino de harmonia quadam euangelica cogitasse coniiciamus. Obueniunt enim, quae effatis quibusdam aliorum librorum N. T. historicorum probe conueniant, cfr. v. 9. 10. coll. Io. ev. 20, 11—18. v. 12. coll. Luc. 24, 13. sqq. v. 19. coll. Luc. 24, 51. Neque origo totius sectionis (si ad euangelium Marci olim non pertinuisse sed a manu seriore addita esse existimatur) aliunde facile potest repeti, quam ex vsu librorum N. T. quem interpolator ille fecerit. Putabimusne vero, eundem ita composuisse suum appendicem, vt pluribus effatis commentariorum Matthaei, Lucae, et Ioannis contradicere videretur?

25) Aliter sese habet, si Marcus huius pericopae auctor fuisse censetur, minime ex Ioanneo commentario, sed ex aliis fontibus, quos adire potuit, praecipue ex Apostoli Petri sermonibus haec referens.

videmus consentientem, ducem sequi debuisset? c) Desideratur in hac pericope, quod Matthaeus (c. 28. v. 16.) et Ioannes (c. 21.) testati sunt, Iesum vitae restitutum in monte Galilaeae cum discipulis conuenisse, prout ipse nuntiasset. Quodsi Marcus ipse vulgaris clausulae euangelii sui auctor exstitisse censetur, potest omnino (vt infra videbimus) probabiliter doceri, quomodo factum sit, vt illius euenti mentionem iniiceret nullam, etsi (c. 16. v. 7.) verba commemorasset inuenis, in sepulcro Christi sedentis, illisque mulieribus nuntiantis, familiares Christi ipsum *in Galilaea* esse visuros, quemadmodum ipse praedixisset. Sin tota pericope supposititia habetur, quaeratur profecto necesse est, quomodo tandem eiusmodi interpolator, de lacuna proprio Marte supplenda, suoque supplemento euangelistae vindicando cogitans, eorum oblitus, quae apud Marcum c. 16. v. 7. legisset, silentio transire potuerit, Christum re vera in Galilaeam praecessisse discipulos? Premitur, vt verbo dicam, sententia eorum, qui interpolatorem aliquem pericopa illa (Marci 16, 9—20.) addenda lacunam animaduersam supplere voluisse existimant, difficultatibus haud euitandis. Patet inde, originem sectionis non esse hac ratione explicandam, nisi argumentis vel externis vel internis spuriam eam agnoscere *cogamur*. Argumentis externis authentiam eius inpugnantibus, vt supra docuimus, alia licet opponere grauitate nequaquam destituta. Videamus igitur, an forte *argumenta interna* rem certius definiant?

II.

Quod primum *res ipsas* attinet in hac pericopa expositas, nemini facile in mentem veniet, authentiam eius propterea in dubium vocare, quod nonnulla hic obueniant, quae narrationibus ceterorum euangelistarum aduersari videantur. Nolo repetere, quae de his ἐναντιοφανείαις in antecedentibus breuiter disputata sunt. Plerique vero eorum, qui authentiam huius sectionis inpugnauerunt, aliis argumentis vti sunt, ex ipsa rerum narratarum indole depromtis. Monuerunt quippe a) Marcum, si ipse hanc clausulam euangelio adiecisset, non potuisse iter Christi in Galilaeam factum silentio transmittere, quum c. 14. v. 28. et c. 16. v. 7. promissum Christi commemorasset, se, vitae restitutum, in Galilaeam praecessurum esse Apostolos. Huius argumenti vim ii praecipue sensserunt, qui Marcum in scribendo suo commentario euangelium Matthaei (illius itineris Iesu Christi aperte mentionem facientis c. 28. v. 16.) perpetuo ante oculos habuisse existimant[26]). Quam exigua vero probabilitate euangelium Marci ex commentario Matthaei deriuare liceat, recentius probe intellectum[27]) est. Iam nega-

---

26) Proinde Storrius in comment. laud. p. 62. sqq. hoc ipsum silentium, quo Marcus iter Christi in Galilaeam factum transierit, inter argumenta referri voluit, quae doceant, Marcum scripsisse, anteaquam Lucas et Matthaeus suos ederent commentarios.

27) Cfr. Koppe: Marcus non epitomator Matthaei, Gottin-

uit quidem nuperrime l. b. GRIESBACHIUS [28]), ſilentii, quo Marcus illud euentum tranſierit, vllam proferri poſſe cauſam probabilem, ſi vel maxime conceſſeris, Matthaei librum a Marco non fuiſſe adhibitum. Sed, quantum equidem video, omnino idem breuitatis ſtudium, quo totum Marci euangelium a commentariis Matthaei, Lucae, et Ioannis diſcrepat, facere potuit, vt euangeliſta ad finem properans, quemadmodum alia ſileret in poſtremis capitibus Matthaei, Lucae, et Ioannis expoſita (v. c. Matth. 28, 11—15. Io 20, 2. Luc. 24, 12. 34. ὤφθη Σιμωνι), ita etiam huius itineris Chriſti mentionem nullam iniiceret. Accedere potuit (vt ſcite obſeruat Ill. KUINOELIUS [29]) quod Marcus, quum effata Chriſti, poſt ipſius reſurrectionem diuerſis temporibus pronuntiata, in archetypo (fonte trium priorum euangeliorum communi) deprehendiſſet litteris conſignata, neque vero noſſet, quo tempore et loco Chriſtus ſingula dixiſſet, in his ſermonibus eadem breuitate, qua archetypum eosdem notauerat, conſignandis acquieſcere voluit. Neque, quod Marcus tacuit, quomodo Chriſtus promiſſo ſteterit diſcipulis dato (et apud eundem Marcum bis commemorato), ſe in Galilaeam eos praeceſſurum, exem-

---

gae, 1783. EICHHORN *Einleitung in das N. T.* Vol. I. p. 158. ſqq. SCHMIDT *hiſtoriſch-kritiſche Einleitung in das N. T.* Vol. II. (Gieſen, 1809.) p. 51. ſqq. et alii.

28) In comment. crit. in textum N. T. part. II. p. 205.

29) In comment. in libros N. T. hiſtoricos Vol. II. p. 191.

plis omnino caret similibus apud euangelistas obuiis. Ita (quod grauius est) Ioannes, quanquam in euangelio suo effata Seruatoris multa attulit, quibus aperte nuntiauit, se ad patrem Deum in coelos esse redituram (c. 6. v. 62. c. 7. v. 33. c. 8. v. 14. c. 14. v. 2. 3. 12. 28. c. 16. v. 5. 16. 28. c. 17. v. 11. 13. c. 20. v. 17.)[30] historiam tamen ipsius reditus Christi ad Deum patrem (ascensionis in coelos) plane omisit.[31] Aliis locis ex Luca depromtis b. Storrius[32] docuit, interdum euenta praeteriri, per occasionem aliquam paucis indicata. b) Aduersarii authentiae huius pericopae porro in eo offenderunt, quod ea, quae Marci 16, 9. sq. legimus, ex Ioannis euangelio c. 20. v. 11. sqq. depromta videantur, et verba commatis 17. 18. ad Actt. 2, 4. 10, 46. 16, 18. 28, 5—8. respiciant[33], quum Marcus ne-

30) Haud temere plures interpretes effatum quoque Io. 12, 32. ad futurum Christi in coelos ascensum referunt, etsi Ioannes ipse v. 33. formulam ὑψοῦσθαι ἐκ τῆς γῆς de morte Christi futura interpretatus est. Praecipuam vim habent verba Io. 6, 62. ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα, ὅπου ἦν τὸ πρότερον. Cfr. V. Süsskind *Magazin für christliche Dogmatik und Moral.* Fasc. 16. p. 183. sq.

31) De causis, quare Matthaeus et Ioannes eam omiserint, cfr. Flattii *Magazin für christliche Dogmatik und Moral.* Fascic. 8. p. 55. sqq. et Himly de Iesu in coelum ascensu (Argentorati, 1811.) p. 69. sq.

32) In comment. laud. p. 62. nota 101.

33) Hoc argumentum contra authentiam loci nuper a Gratzio excitatum est in libro in nota p. 2. laud. p. 58.

que in ceteris euangelii sui partibus aliquid ex Ioanneo commentario in suum transtulerit, neque Acta Apostolorum (haud dubie vel serius consignata, quam Marcus suum scripsit commentarium, vel eodem fere tempore composita) cognoscere potuerit. Vtroque argumento aliquid ponitur, quod demonstratione indiget. Quis enim neget, fieri facile potuisse, vt Marcus, nulla quidem euangelii Ioannei (quod serius exaratum esse, neque confestim innotuisse videtur) cognitione inbutus, *ex alio fonte* (forsan ex Apostoli Petri, cuius consortio et familiaritate gauisus est, sermonibus) eandem apparitionis Iesu Christi soli Mariae Magdalensi factae historiam hauriret, quam Ioannes (siue hic ex eodem fonte, seu aliunde eam petiisset) fusius persequeretur? Loca vero ex Actis laudata quod attinet, valde arbitraria est eorum interpetum ratio, qui scriptorem pericopae nostrae ex iis Actorum locis, vbi Apostoli documentis illis auxilii diuini plane singularis, quae Marci 16, 17. 18 nuntiata sunt, vere gauisi esse dicuntur (excepto vsu potus venenati nihil nocentis, cuius exemplum nullum in illo volumine memoriae est proditum) i. e. ex Actis 16, 16. 19, 12. 2, 4. 10, 46. 28, 3. sqq. hunc sermonem Christi propheticum composuisse coniiciunt. Quo tandem argumento probaturi sunt, neque Christum potuisse vere haec praedicere, neque hanc eius προφητειαν Marco (siue per Petrum, siue alia ratione) innotescere? Ingenue enim profiteor me non potuisse iis, quae nuper B. *Meyer* disputauerit (*Versuch über* Marci 16, 17. 18. in diario: *kritisches Journal der neuesten*

theologiſchen Litteratur, von Ammon und Bertholdt, dritten B. 1. Stück, Sulzbach, 1815. 8.) in aliam hac de re ſententiam perduci. Obiecit quidem iis, qui in verbis apud Marcum 16, 17. 18. obuiis dictum cognoſcunt ex ore Seruatoris vere profectum, alia loca in euangeliis extare nulla, vbi Chriſtus σημεια ſingula, quae Apoſtoli eſſent edituri, tam accurate deſcripſerit. Licetne vero inde demonſtrare, Seruatorem nunquam talia dixiſſe? Neque alia eiusmodi ſermonum veſtigia prorſus deſiderari dixerim. Immo verbis Chriſti Marci 16, 17. ſq. obuiis profecto ſimillima apparent, quae apud Lucam 10, 19. enuntiaſſe perhibetur. Nonne, qui Apoſtolis dixit: poteſtatem vobis concedo, animalia hominibus noxia et venenata (ſi fieri ita debuerit, aut caſu acciderit) pedibus tangendi, ſalua vita ac valetudine veſtra, idem de Apoſtolis haec nuntiare potuit: ſerpentes illaeſi tangent, neque damnum ſentient, etſi quid venenati bibere debuerint? Quod vero exemplum Apoſtoli, qui potum venenatum absque damno biberit, nullum in Actis occurrit Apoſtolicis, nemini facile verba, quae Marcus Chriſto tribuit, ſuſpecta reddet, ſi modo perpenderit, partim in volumine Apoſtolorum non omnia legi enarrata, quae Apoſtolis omnibus ac ſingulis acciderint, partim Seruatorem hac de re *conditionate* eſſe loquutum: κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν, οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψῃ. c) Breuitatem ſummam c. 16. duobus commatibus 12. et 13. complectentem, quae Lucas 24, 13—35. multo copioſius de diſcipulis Emmaunticis Ieſum in vitam reuocatum tandem agnoſcentibus expoſuerat, ab in-

dole Marci abhorrere voluerunt. Cuius argumenti vim b. GRIESBACHIUS, quanquam aliquid ei tribuit, ipse tamen eo euertit[34]), quod recte huic loco alium contulit similimum Marci c. 1. v. 12. 13. vbi narratio tentationis Christi (apud Matthaeum c. 4. v. 1 — 12. et Lucam c. 4. v. 1 — 12. exposita) duobus versibus absoluitur. Addidit quidem hoc posterius haud leues ob causas factum esse, neque vero docuit, *quare* Marcus *semel tantum* ita facere potuerit? Idem breuitatis studium fecit, vt v. 19. nihil de *loco* diceretur, quo Seruator mandata vltima apostolis iniunxerit. d) Verba postrema c. 16. v. 8. καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον. ἐφοβοῦντο γάρ si conferuntur iis, quae v. 9. 10. sequuntur, aliisque locis euangelistarum parallelis, profecto ita se habere intelligimus, vt authentiam pericopae v. 9. sequentis suspectam reddere possint, omninoque miror, quod eius aduersarii noluerint huius potissimum argumenti vsum facere. Etenim, quum v. 9. 10. *sola* Maria Magdalensis commemoretur, quae, Iesu conspecto, nuntium de Seruatore vitae restituto familiaribus eius attulerit, commate vero 8. mulieres, quae sepulcrum Christi adiissent, ibique iuuenem deprehendissent ipsas certiores reddentem, Iesum in vitam rediisse, atque hoc discipulis eius, praesertim Petro esse nuntiandum, (Maria Magdalensis, Maria Iacobi mater, atque Salome), metu et pauore perculsae, sepulcro egressae aufugisse dicantur, *neque cuiquam aliquid dixisse*; videtur

34) In comment. crit. partic. II. p. 206.

omnino Marcus addendis iis, quae v. 9. 10. ſequuntur, *ſolam Mariam Magdalenſem numero mulierum illarum, quae nihil dixerint, excipere*[55]. Ita vero Marcus iisdem euangeliſtis, qui pariter atque Marcus (c. 16, 1.) plures commemorant mulieres ad ſepulcrum Chriſti profectas, eo repugnat, quod ceteras mulieres *praeter* Mariam Magdalenſem nihil de Chriſto vitae reſtituto diſcipulis eius et amicis nuntiaſſe perhibet. Matthaeus quippe (c. 28. v. 8. 9) et Lucas (c. 24. v. 9.) vniuerſe teſtantur, nuntium de Chriſto in vitam reuocato per illas mulieres, quae ſepulcrum eius adiiſſent, allatum eſſe eius diſcipulis. Licet quidem hanc ἐφοβοῦντο γάρ verbis v. 8. καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον aliter interpretandis mitigare. Nihil eſt, quod nos cogat, verbis laudatis ſenſum hunc ſubiicere, vt mulieres illae omnino neminem de Chriſto reſuſcitato certiorem dicantur reddiſſe. Immo, quemadmodum Marcus haud raro verboſior eſt, vbi περιστάσεις rerum geſtarum ſingulas notat ac deſcribit (v. c. c. 5. v. 2. 3. 4. c. 6. v. 51.) ita h. l. in deſcribendo metu ac pauore, qui mulieres illas occupauerat, aliquâ ſermonis copia vtitur, non tantum vniuerſe huius animi adfectum notans εἶχε αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις, ſed etiam ſignum pauoris externum commemorans καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον· ἐφοβοῦντο γάρ: *neque* (inter proficiſcendum) *quenquam* (ipſis occurrentem) *alloquutae ſunt, metu quippe per-*

55) Nolo hic vrgere, Marcum pariter nihil dixiſſe de Chriſto *ceteris* mulieribus apparente. Vd. quae ſuprà iam hac de re breuiter monuimus.

culſae. His minime tollitur, atque euertitur, quod Lucas et Matthaeus narrant, mulieres illas poſtea, quum ad apoſtolos veniiſſent, eos de Chriſto vitae reſtituto certiores reddidiſſe. Verum enimuero certum eſt, verba Marci καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον eſſe *ambigua*, atque ita intelligi *poſſe*, vt mulieres illae reſurrectionem Chriſti omnino reticuiſſe exiſtimentur. Nonne igitur, ſi Marcus pericopen illam (c. 16. v. 9 vsque ad finem euangelii) vere ſcripſiſſet, ne quis verba v. 8. ea, quam diximus, ratione interpretari poſſet, aperte teſtaturus fuiſſet, ceteras quoque mulieres (praeter Mariam Magdal.) Ieſum reſuſcitatum diſcipulis nuntiaſſe? Quanquam grauitatem dubitationis excitatae probe ſentio, minime tamen haec ſola tantum valet, vt demonſtret, ſectionem noſtram non poſſe Marco auctori tribui. Licet, opinor, cauſam probabilem adferre duplicem ſilentii, quo Marcus nuntium de Chriſto reſuſcitato per ceteras quoque mulieres eius diſcipulis allatum tranſierit. Etenim vel plane hoc ignorauit (certe non ſatis accurate compertum habuit), ſiquidem Petrus (cui Marcus haud dubie plura ex iis debet, quae litteris conſignauit) in ſermonibus ſuis Mariam tantum Magdalenſem commemorauerat[36]), quae ante omnia (cfr. Io. ev. c. 20.

---

36) Quo minus exiſtimem, Marcum propterea non potuiſſe rem ignorare, quod Matthaeus et Lucas eum accuratius notaſſent, eadem argumenta impediunt, quae omnino iis obſtant, qui Marcum ſua ex Matthaeo et Luca petiiſſe exiſtimant.

v. 2.) Petro et Ioanni indicauerat, ſepulcrum Chriſti eſſe vacuum; vel, hanc περιστασιν minoris eſſe momenti exiſtimans, negligentius eam tractauit, id vnice curans, vt illius nuntii de Chriſto reſuſcitato, quem Maria Magdalenſis diſcipulis Chriſti attuliſſet, mentionem iniiceret. (Docet quippe tota huius euangelii indoles, Marco ea praecipue [57]) curae cordique fuiſſe, quae ad Petrum potiſſimum ſpectarent). His cohaeret aliud argumentum ab aduerſariis authentiae huius loci excitatum. e) Mirum eſſe dicunt, quod Marcus, in ceteris euangelii ſui partibus ea praecipuo ſtudio perſequi ſolitus, quae ad Petrum pertinerent, in hac pericope Petri ſui plane oblitus fuerit, neque ea tetigerit, quae Luc. 24, 12. 34. Io. 20, 2—9. 1 Corr. 15, 5. leguntur. Attamen, vt taceam, Euangeliſtam noſtrum (vt probe vidit STORRIUS) aliis quoque locis plura omiſiſſe, quae ad Petrum proxime ſpectarent (c. 8. v. 29. coll. Matth. 16, 17. ſqq. Marci 11, 1. coll. Luc. 22, 8.) in hac ipſa pericope praeter illam Mariae Magdalenſis Chriſtum reſuſcitatum nuntiantis commemorationem, de qua antea diximus, alia quoque deprehendimus paucis indicata, quae om-

57) Petrus et Ioannes prius quam ceteri, Chriſtum in vitam rediiſſe, cognouerant, quum Maria Magdalenſis iis indicaſſet, corpus Chriſti e ſepulcro eſſe ablatum. Io. 20, 2. Ceterum aliam ſilentii, quo Marcus nuntium illum a ceteris mulieribus allatum tranſierit, cauſam haud inepte inde repeti, quod ipſe clauſulam, de qua diſputatur, euangelio ſuo ſerius addiderit, mox videbimus.

nino prodant, scriptorem Petri sui minime oblitum esse[38]), etsi in summa orationis breuitate, ad finem properans, haec omnia non accuratius persequutus fuerit, neque Petrum diserte commemorauerit.

Rebus ipsis in hac pericopa expositis nihil inesse vidimus, quo impediamur, quo minus Marcum euangelistam eius auctorem agnoscamus. Neque vero *narrandi ratio totiusque sermonis indoles* contrarium demonstrat. Ipsum quidem huius loci initium (v. 9.) nonnulla offerre videtur, quae viris doctis authentiam eius impugnantibus faueant. Quaeri enim possit, an Marcus, quum in commatibus proxime praegressis verba iuuenis in sepulcro sedentis, qui mulieres illas alloquutus fuerat, retulisset, narrasset que, mulieres perterritas aufugisse, versu 9. (porro narraturus, quae Iesus in vitam revocatus fecerit ac dixerit) recte ita pergere potuerit: ἀναστὰς δὲ, subiectum Iesu Christi (de quo participium ἀναστας intelligendum esse patet) omnino non commemorans? qua de causa diei atque temporis (supra iam notati v. 2.) mentio-

38) Verissime Storrius monuit in comment. laud. p. 61. „nec „abhorret a sensu Petri vel dictorum (cfr. λαλησας Marci 16, „19.) vel factorum delectus, quae in extremo libro ex re„liqua Christi historia reperimus delibata (v. 15. s. coll. „Actt. 10, 42. s. 2, 38. 4, 11. s. 1. Petri 2, 6—8. 1, 5. et „Marci 16, 17. coll. Actt. 2, 4—14. 10, 46. ss. et Marci 16, „19. s. coll. Actt. 2, 33—36. 1 Petri 3, 22. Actt. 4, 29—31. „5, 42. 8, 14—25. 9, 32.)“

nem iterum iniecerit (πρωΐ πρώτῃ σαββάτου)? et, quare Mariam Magdalenſem ſupra v. 1. ſimpliciter inter mulieres ad ſepulcrum Chriſti profectas commemoratam *hoc* demum *loco* accuratius verbis deſcripſerit: ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια, tanquam ſi nomen huius Mariae antea in euangelio omnino nondum apparuiſſet? Ingenue profiteor, me ita olim in hoc initio totius pericopae offendiſſe, vt fragmentum ea contineri coniicerem, ex alio quodam documento ſumtum, euangelio Marci per alienam manum additum. Cognoui vero, ſingulis iterum iterumque pertractatis, quaeſtiones modo excitatas ad perſuaſionem vulgarem de Marco huius clauſulae auctore euertendam non ſufficere. Ellipſis enim ſubiecti ὁ Ἰησοῦς (v. 9. in.) neque iuſto durior eſt (quum facile poſſit ex vſ. 6. 7. ſubintelligi) neque ab eiusmodi ſcriptore, qualem Marcus ſeſe exhibet, interdum negligentius ſcribente aliena. Cauſam vero illius repetitae notationis temporis (πρωΐ πρώτῃ σαββατου) ſatis probabilem ex tota huius pericopae oeconomia eluceſcere exiſtimo. Voluit quippe Marcus (qui totam hiſtoriam apparitionum Chriſti vitae reſtituti, ſermonum eius vltimorum, aſcenſionis in coelos hac poſtrema ſectione complexus eſt) *triplicem* potiſſimum Seruatoris *apparitionem diuerſis temporibus factam* (priusquam diſcipulis omnibus perſuaſum eſt, Chriſtum in vitam rediiſſe) accuratius diſtinguere, *primam*, qua Mariae Magdalenſi viuum ſe exhibuit (v. 9.) *alteram*, qua diſcipulis Emmaunticis obuiam factus eſt (v. 12.), *tertiam*, qua vndecim diſcipulis accumbentibus apparuit (v. 14.) Proinde vocibus

(πρῶτον v. 9. μετὰ ταῦτα v. 12. ὕστερον v. 14.) vſus eſt diuerſitatem temporis aperte declarantibus. Grauiſſimum Marco viſum eſt, quod accurate compertum habuit, Mariam Magdalenſem inter familiares Chriſti *primam* fuiſſe, cui contingeret, Seruatorem deſideratum conſpicere vitae reſtitutum (inprimis, quum hoc ad Petrum, per Mariam illam, vt ſupra vidimus, de Chriſto reſuſcitato confeſtim certiorem redditum, propius pertineret). Patet inde, quare tempus huius primae Chriſti apparitionis *praecipua* diligentia verbis πρωΐ πρώτῃ σαββάτου notauerit. Denique eadem, opinor, de cauſa v. 9. hanc Mariam (ſupra ſimpliciter ἡ Μαγδαληνὴ appellatam) accuratius deſcripſit addendis illis ἀφ᾽ ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια, ad euentum alludens lectoribus Marci haud dubie probe cognitum (Luc. 8, 2.[39]). Praeterea vero neque elocutioni vniuerſae in hac pericopa vſurpatae, neque verbis formulisque ſingulis quidquam ineſſe video, quod indoli atque ingenio Marci conciliari nequeat.

Quodſi nulla apparet ratio idonea demonſtrandae ſententiae eorum, qui totum locum negauerunt a Marco proficiſci potuiſſe, authentia eius, etſi non gaudeat vnanimi conſenſu teſtium criticorum antiquitatis omnium, ea tamen de cauſa profecto concedenda eſt, quod

39) Licet inſuper, ſi cui totius pericopae initium vel abruptius vel verboſius eſſe videatur, vt ſtatim videbimus, aliam huius rei cauſam inde petere, quod Marcus totam clauſulam euangelio ſuo ſerius adiecerit.

ea, quae c. 16. v. 1—8. leguntur, minime ita comparata sunt, vt Marcus in his omnino acquieuisse et v. 8 euangelio suo finem imposuisse existimari possit. Quis enim credat, Marcum de Iesu resuscitato, discipulis ac familiaribus viuum sese exhibente, eiusque vltimis sermonibus nihil addidisse? Ita profecto euangelium scripsisset nimis mancum atque imperfectum. Immo, quae v. 8. de mulieribus illis sepulcro egressis legimus καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον ἐφοβοῦντο γὰρ [40]), si verba essent vltima totius euangelii, neque Marcus insuper aliquid monuisset de Maria Christum resuscitatum discipulis nuntiante, aliisque documentis ac testimoniis, quibus resurrectio Iesu Christi innotuerit aliisque certo persuasa fuerit, lectores huius euangelii de veritate rei dubios reddidissent atque suspensos. Internis argumentis persuasionem vulgarem de authentia huius pericopae euerti non posse vidimus. Testimoniis externis, quae authentiam sectionis dubiam reddunt, minime contemnendis, opponere licet aliorum testium, qui totam pericopen Marco vindicant, copiam et grauitatem. Difficultates quasdam et ἐναντιοφανειας in ea obuenientes solas fecisse, vt sectio integra in aliqua parte codicum pro lubitu omitteretur, nulla potest probabilitate statui. Quo minus vero interpolatorem aliquem eiusmodi pericopa, qualis haec appareat, addenda et Marco supponenda lacunam, quam post v. 8. animaduertisset, supplere studuisse existime-

40) Verba esse ambigua supra concessimus.

mus, plura inpediunt. Nihil igitur reſtat, niſi, vt concedamus, hoc loco admodum mature in iis euangelii Marci exemplaribus, quae omnium prima eſſent et antiquiſſima, lectionis diuerſitatem exſtitiſſe, aliis quidem poſt v. 8. illam, de qua diſputatur, pericopen exhibentibus, aliis nihil addentibus. Vnde haec diuerſitas exſtiterit, probabiliter intelligi poteſt, ea quidem ratione, qua neque adfirmare cogamur (quod nulla omnino probabilitate gaudeat) Marcum v. 8. finiiſſe euangelium, neque vel de omiſſione huius pericopae cogitare arbitraria, vel originem eius ex interpolandi ſtudio repetere (quod vtrumque quare admitti non poſſit ſupra docuimus). Quantum equidem video, vel tota ſectio in vno quodam eorum huius euangelii exemplarium, quae omnium prima fuernnt et antiquiſſima, negligentia librarii omiſſa eſſe aut caſu quodam periiſſe exiſtimanda eſt, atque hoc vitium mature in alios irrepſiſſe codices ex illo deſcriptos; vel coniectura admittenda, clauſulam v. 9. et ſeqq. comprehenſam, aliquo temporis ſpatio elapſo, poſtquam Marcus totum euangelium vsque ad c. 16. v. 8. conſcripſiſſet, ab ipſo eſſe additam. Facile enim fieri potuit, vt Marcus, quum vsque ad v. 8. peruenisſet, caſu quodam inpeditus, quo minus confeſtim pergeret, quae adhuc reſtarent enarranda, ad aliud tempus differret. Iam vero etſi probabilitate ſumma largiamur, Marcum ipſum non prius palam edi voluiſſe ſuum commentarium, quam totus eſſet abſolutus atque conſummatus, accidere tamen potuit, vt euangelium mancum, clauſula de-

ſtitutum (forſan per amicum aut ſodalem Marci, cui ipſe libellum ſcriptum priuatim communicaſſet) citius innoteſceret ac deſcriberetur (ipſo auctore neſcio [41]). Prodiit inde exemplar euangelii Marci antiquiſſimum, clauſula carens.

---

41) Patet meam coniecturam ab ea multum differre, quae olim MICHAELI haud inprobabilis viſa fuerit (cfr. *Zuſätze zu der vierten Ausgabe von Michaelis Einleitung in die göttlichen Schriften des N. B.* p. 225 ſq. et eiusdem *Erklärung der Begräbniſs- und Auferſtehungs-Geſchichte Chriſti* p. 182.). Ille enim coniecerat, Marcum c. 16. v. 8. omnino finem impoſuiſſe euangelio, ſiquidem, poſtquam illa litteris conſignaſſet, vel morte Petri, vel alio caſu inpeditus fuerit, quo minus porro vteretur conſortio Apoſtoli, et reliquam partem hiſtoriae reſurrectionis Ieſu Chriſti ex eius ore perciperet; poſtea vero, annis pluribus elapſis, quo tempore euangelium in Aegypto praedicaret, idemque litteris conſignatum Chriſtianis ibi verſantibus traderet, clauſulam euangelio adieciſſe. At nemo facile concedet Michaeli (vt veriſſime monuit STORRIUS in comment. laud. p. 54.) Marcum, priusquam deſineret Petri commercio gaudere, ita nihil de reſurrectione Chriſti, de modo, quo viuum ſeſe exhibuiſſet, de vltimis eius ſermonibus ex Petro audiuiſſe, vt propterea, quod hunc Apoſtolum adire amplius non poſſet, ſcriptis verbis v. 8. ἐφοβοῦντο γάρ, euangelium cogeretur abrumpere. Praeterea, quanquam haud dubie plura ſunt, quae commentarius Marci ſermonibus Petri debeat, minime tamen eo adduci poſſum, vt exiſtimen, Euangeliſtam illum, praeter ſermones Petri, alium nullum habuiſſe fontem ſui euangelii. — Quam parum tribui poſſit traditioni, cuius veſtigia apud quosdam patrum veterum deprehendimus, de editione euangelii duplici, quam ipſe Marcus adornauerit, docuit Ill. EICHHORN: *Einleitung in das N. T.* Vol. I. p. 564. ſqq.

Postea, quum Marcus, ad laborem pristinum reuersus, commentarium (iam edendum) absoluisset (addenda pericope, quae inde a v. 9. vsque ad finem legitur), exemplaria descripta sunt, quae euangelium continebant integrum atque perfectum. Ab illo quidem exemplari antiquissimo, clausula carente, satis mature latius diuulgato, eos codices stirpem ducere existimo, qui vel post c. 16. v. 8. nihil amplius exhibeant, vel loco pericopae nostrae vulgaris (v. 9. sqq.) aliam suppeditent breuiorem euangelii clausulam (profectam a librariis de lacuna supplenda cogitantibus). Neque difficile intellectu dixerim, quomodo fieri potuerit, vt, quanquam Marcus postea clausulam euangelio adiecisset, illa tamen lacuna, quae in exemplari antiquissimo apparuisset, in alios plures (forsan multos) transiret codices serius scriptos? Iam enim difficultates quaedam et ἐναντιοφάνειαι in hac pericopa obuiae lectores ac librarios, qui cognouerant, hanc sectionem non apparere in omnibus Marci exemplaribus, ad authentiam eius omnino negandam facilius impellere potuerunt. (Neque vero ex eiusmodi difficultatibus *solis* causam idoneam omissionis *plane arbitrariae* repeti posse supra vidimus).

Licet omnino coniectura, quam proposui, admissa non tantum (id quod grauissimum est) recte intelligere, quomodo diuersitas illa in exemplaribus Marci antiquissimis exstiterit, sed etiam vsum eius facere ad alia quaedam dubia, quorum mentio supra facta est, soluenda (quanquam alia quoque praesidia has difficultates tol-

laudi aut mitigandi non deesse supra vidimus). Docet quippe experientia, scriptori historiae, ei potissimum, qui scribendo parum sit exercitatus, facile accidere, vt, si forte per aliquod temporis spatium impeditus fuisset, quo minus in commentario elaborando pergeret, ad laborem pristinum reuersus eumque continuaturus, in pertractandâ reliqua historiae parte vel aliquid ex iis omittat, quae commentario inferrere olim ipse decreuisset, vel ea, quae sequantur, antecedentibus negligentius adnectat (totius libri oeconomia atque nexu ipsius animo minus perspicue, quam olim, obuersante). Quodsi Marcus, postquam commentarium nondum omnino absolutum, aliis rebus et negotiis occupatus atque distractus, diutius seposuerat, seriori tempore pericopen v. 9. seqq. addidit, ipsa haec procrastinatio aliquid eo conferre potuit, vt neque itineris, quo Christus resuscitatus Galilaeam adiisset, neque nuntii de Christo resuscitato eius discipulis per ceteras mulieres (praeter Mariam Magdalensem ad sepulcrum profectas) allati mentio fieret, totumque pericopae initium paulo abruptius euaderet. Quanquam enim, hanc clausulam additurus, commata priora (v. 1—8.) alio tempore scripta omnino perlustrare debuit (vt probe vidit Censor doctissimus commentationis meae supra nota 18. laudatus) potuit tamen, quae ipse scripserat, oculis properantibus percurrere, animum minus accurate ad *ea singula* attendendo, quae accuratius exposuisset, si eodem tempore, quo reliquam euangelii partem litteris consignauerat, clausulam quoque addidisset. Exempla si-

milia, quae facile oſtendant, quam parum coniectura noſtra ab ea ratione, qua plures libri N. T. exſtiterint, aliena poſſit videri, et euangelium Ioannis et epiſtola Pauli ad Philippenſes ſuppeditat. Illius enim euangelii capitis 21. indoles, ſiue rerum, quae ibi traduntur, delectum, ſiue elocutionem perpenderimus, collata inſuper clauſula capitis 20. v. 30. ſq. lectores abſque omni partium ſtudio iudicantes facile eo ducit, vt caput vigeſimum primum, etſi Ioanneum agnoſcant, ſeriori tamen tempore, poſtquam Ioannes reliquum commentarium pridem abſoluiſſet, ab ipſo aetate prouectiore additum cenſeant[42]). Neque argumentis deſtituuntur idoneis, qui Pauli epiſtolam ad Philippenſes duabus epiſtolis conſtare exiſtimant[43]), altera ad totum coetum ſcripta, altera hominibus priuatis deſtinata, priori ſerius addita (quum prior illa non potuiſſet confeſtim ad coetum Philippenſem ablegari[44]).

---

42) Cfr. quae nuperrime hac de re egregie diſputata ſunt in libro Wegscheideri: *Verſuch einer vollſtändigen Einleitung in das Evangelium des Johannes*, Göttingen, 1806. p. 172 — 186.

43) Cfr. N. T. graece perpetua adnotat. illuſtratum editionis Koppianae Vol. VII. partic. II. (Gottingae, 1803.) auctore Ill. Heinrichs adornatum.

44) Inpugnauit quidem huius coniecturae veritatem Ill. Krause in commentatione: an epiſtola Pauli ad Philipp. in duas epiſtolas easque diuerſis hominibus ſcriptas diſpeſcenda ſit? Regiomonti, 1811. (vernacule reddita in diario: *Königsberger Archiv, Inhrgang 1811. erſtem Stück*). Licet vero difficultates a Krausio excitatas (vt Ill. Paulus acute coniecit in diario: *Heidelberger Jahrbücher 5tem Jahrgange, 7tem Heft, July 1812.* p. 702. ſq.) omnino tollere, ſi concedimus, epiſtolium illud hominibus priuatis ſcriptum inde a c. 3. v. 1. vsque ad c. 4. v. 9. pertinere, atque in antiquiſſima epiſtolarum Paulinarum collectione illi epiſtolae toti coetui deſtinatae eſſe inſertum.

Commentatio Decima *).

In locum euangelii Matthaei c. 3. v. 7 — 12. inquiritur.

*) Edidi hanc commentationem, ad dies festos memoriae nati Iesu Christi sacros rite celebrandos inuitaturus Ienae MDCCCXIV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-146554043-10/fragment/page=178

Quanta grauitate et efficacia Ioannes baptiſta inter Iudaeos docuerit, regnum diuinum et aduentum Chriſti praeparaturus, quam libere peruerſitatem ſui ſaeculi notauerit, quam ſtrenue omnes ad veram animi emendationem cohortatus fuerit, ex eo potiſſimum ſermone elucesſcit, quem Matthaeus et Lucas c. 3. memoriae prodiderunt. Quo maiorem vero orationis breuitatem grauitas, qua diuinus ille Seruatoris nuntius docebat, comitem habuit; eo grauius de vero ſenſu vocabulorum quorundam atque formularum, quae in ſermonibus Ioanneis obueniunt, dubitatum eſt. Liceat igitur mihi opportunitatis ſcribendi, quam dies feſti Chriſtianis pie celebrandi attulerunt, vſum ita facere, vt de effatis quibusdam in ſermone Ioannis baptiſtae, qualem Matthaeus c. 3. v. 7 — 12. expoſuit, recte interpretandis ſententiam profitear.

Sermonem Ioannis, quem in eu. Matth. 3, 7. ſqq. legimus, ad Phariſaeos potiſſimum ſpe-

ctasse atque Sadducaeos, ipse Matthaeus v. 7. docet, his quidem verbis: ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς· γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς: Quamquam loquendi vsus iis interpretibus non omnino repugnat, qui cum Oleario (in obseruatt. ad Matth.) praepositioni επι h. l. vim aduersatiuam vindicant (*contra*, *aduersus*, Matth. 12, 26.) ita vertentes: *quum Ioannes multos Pharisaeos et Sadducaeos contra immersionem suam sacram* (i. e. ad immersionem suam coercendam aut prohibendam) *accedere vidisset*; praestat tamen pluribus de causis, voculam επι (aliis huius commatis interpretibus recte praeeuntibus) h. l. ad *finem* s. *consilium* (lauacri sacri subeundi) significandum referre, quo Pharisaei illi et Sadducaei venisse dicuntur. Etenim, quemadmodum exempla suppetunt, quibus doceatur, neque scriptoribus classicis graecis neque ceteris vsum illum praepositionis επι fuisse incognitum (cfr. v. c Platonis Gorgias §. 56. edit. Findeisen. Iosephi antiquitt. Iudd. l. 2. c. 6.); ita locus Lucae parallelus (3, 7. sqq.) qui ita se habet, vt non tantum sententiarum sed etiam verborum ratione habita vterque alteri conueniat, eam, quam diximus, interpretationem egregie commendat, siquidem ibi Ioannes eadem verba dixisse narratur τοῖς ἐκπορευομένοις ὄχλοις βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ. Neque desunt, quibus argumenta ab Oleario excitata commode refutentur. Verissime quidem intellexit, verbis baptistae sequentibus acerbam inesse Pharisaeorum et Sadducaeorum reprehensionem.

Neque vero exinde coniicere auſim, non potuiſſe tam grauiter homines taxari, qui promtos ſeſe gererent ad lauacrum ſacrum Ioannis ſubeundum. Etenim, quod in loca deſerta, in quibus Ioannes verſatus eſt, egreſſi lauacrum eius ſacrum expetierunt, minime probat, eos veram ſenſiſſe poenitentiam. Speraſſe potius videntur Phariſaei illi atque Sadducaei pariter atque alii multi (quos Lucas 3, 7. voce των οχλων complexus eſt) fore vt *ſolo hoc ritu* vſurpando in ſocietatem regni diuini venirent a Ioanne nuntiati, neque intelligebant hanc eſſe primariam ſalutis verae impetrandae conditionem, vt, quae per baptiſmum ſymbolice declarata et commendata fuerit, animi immutatio ſaluberrima vere perficiatur. Quod vero loca N. T. atttinet ab Oleario laudata, ex quibus pateat, Phariſaeos lauacrum ſacrum et inſtituta Ioannis baptiſtae omnino parui habuiſſe (Matth. 21, 25. Luc. 7, 29. 30.) ea, quam ſupra commendauimus, verborum επι το βαπτισμα αυτου interpretatio hoc argumento minime euertitur, ſi modo perpenderimus, tempora eſſe diſtinguenda. Initio quidem multi certe Phariſaeorum et Sadducaeorum Ioannem baptiſtam haud parum venerati ſunt, exiſtimantes quippe, hunc eſſe Meſſiam proditurum. Poſtea vero, quum Ioannes exſpectationibus vulgi Iudaeorum Meſſianis nequaquam ſatisfeciſſet, veramque dignitatem Meſſianam ipſe Ieſu vindicaſſet, expectationibus votisque Iudaeorum terreſtribus omnino repugnanti, aliter de Ioanne iudicare coeperant. Ceterum tota, quae ſequitur, Ioannis oratione nihil continetur, quod

probet, sermonem baptistae ad homines spectasse, qui propterea accesserint, vt lauacro sacro Ioannis se opponerent. Immo, quaecunque dixit, ingenio hominum egregie conuenient, qui in ritibus externis acquiescere maluerant, quam de mente emendanda serio cogitare. Quae quum ita sint, non dubito sententiam membri prioris v. 7. ἰδὼν δὲ — αὐτοις his verbis exponere: *quum vero multos Pharisaeos et Sadducaeos immersionem suam (sacram) subituros, accedere vidisset, hos ita alloquutus est:* γεννήματα ἐχιδνῶν etc. Audimus Ioannem summae morum peruersitati, cui plerique eorum indulgebant, qui ipsum iam adierant, grauiter indignantem, atque imagine admodum viuida neque ab indole linguarum orientis aliena notionem hominum enuntiantem, qui maxime deprauati sint, aliisque maligne noceant (tanquam veneno intimo repleti), etsi speciem captent probitatis, et ab eiusmodi hominibus originem ducant. Quemadmodum שָׂרָף מְעוֹפֵף (*serafies volans*) apud Iesai. 14, 29. symbolo hominum inseruit pernitiosorum, ita Ioannes Iudaeos congregatos *progeniem* appellat *viperarium* (cfr. Matth. 12, 34. 23, 33.)[1]). Iam vero, vt sententia eorum, quae sequuntur, τὶς ὑπέδειξεν etc. recte eluceſcat, videamus ante omnia ne-

1) De vocabulo γέννημα non tantum ad segetes, plantas, arbores, sed etiam ad animalia hominesque transferri solito satis iam expositum *Loesner* in obseruatt. Philonn. ad h. l. et ad Matth. 26, 29. atque Ill. *Kuinoel* in comment. ad libros N. T. historicos Vol. I. ad h. l.

ceſſe eſt, quo ſenſu Ioannes ὀργὴν μελλουσαν commemorauerit? In promtu eſt, *iram Dei* h. l. pariter atque aliis pluribus N. T. locis fieri ſoleat, ex vſu loquendi metonymico non tantum hebraico (Pſ. 79, 6.) ſed etiam bene graeco (Pauſan. 8, 2.) pro ipſa *poena* (effectu irae) poni (1 Theſſalonn. 1, 10.) Quae quidem poena dicitur μελλουσα (i. q. ἐρχομενη), futura, exſpectanda hominibus inprobis, vbi Meſſias regnum ſuum condere coeperit. Ioanni quippe haec dicenti notionem Meſſiae Iudaeos inprobos a probis ſeparaturi et poena grauiſſima caſtigaturi, ante oculos eſſe obuerſatam verba v. 12. luculentiſſime declarant. Nec mirum videri poteſt, quod Ioannes, vitae ſeuerae adſuetus, ſumma morum honeſtate conſpicuus, peruerſitate ſaeculi ſui vehementer offenſus, quo firmius ſibi perſuaſerit, ſalutem nullam exſpectari poſſe, niſi ciues animum moresque prorſus immutauerint, eo magis in hanc potiſſimum Meſſiae notionem mentis oculos defixerit. Accedebat, quod Iudaei ſeriores omnino docebant, Meſſiam ſacra Iudaica moresque purgaturum eſſe, hominesque inprobos, rebus huius ſaeculi conſummatis, cum diabolo malisque geniis ad aeterna ſupplicia damnatum iri. Cfr. *Berthold* chriſtologia Iudaeorum Ieſu Apoſtolorumque aetate (Erlangae, 1811.) p. 162. ſſ. 199 ſqq. Itaque φυγειν dicuntur απο της μελλουσης ὀργης (ex more loquendi hebraico, qui verba בָּרַח et נוּס cum particula מִן connectit) qui poenam diuinam imminentem effugiunt. Cfr. Geneſ. 35, 7. Ieſ. 24, 18. Sirac. 21, 2. et locus ſimillimus Matth. 23, 33. vbi Ieſus ad Phariſaeos

legumque doctores ita loquitur: ὄφεις, γεννήματα ἐχιδνῶν, πῶς φύγητε ἀπὸ τῆς γεέννης; Verbum denique υποδεικνυειν nullam habere vim singularem ex praepositione υπο oriundam (qualem ii interpretes quaesiuerunt, qui huic verbo significationem *clanculum admonendi* vindicant) probe docuit Raphelius locis pluribus ex Polybio laudandis, quibus addere licet Platonis Apologiam Socr. c. 11, p 96. ed. Fischer. recent. Neque reliqua effata N. T. vbi verbum υποδ. occurrit, ita comparata sunt, vt nos iubeant de potestate verbi simplicis δεικνυειν illius praepositionis ope vel aucta vel imminuta cogitare, siquidem his locis simpliciter idem valet, quod διδασκειν (docere, ostendere) et partim ad eos transfertur, qui alios de rebus edocent ad religionem moresque spectantibus (Luc. 6, 47. 12, 5 Actt. 20, 35.) partim ad eos, qui aliis fata futura nuntiant (Actt. 9, 16.) Totius autem formulae: τις υπεδειξεν etc. sententia non vno modo intellecta est. Vidimus antea, verbis φυγειν απο etc. sortem et conditionem describi, quae profecto hominibus illis, de quibus sermo est, non potuerit nisi exoptatissima videri (immunitatem a poena diuina hominibus inprobis in regno Messiae destinata). Quaeritur iam, vtrum verbum υποδεικνυειν in hac orationis serie obuium eum denotet, qui aliquem doceat, quae consequi possit (i. e. qui spem ei faciat aliquid consequendi), an de eo dicatur, qui modum et rationem alteri ostendat, rem exoptatam consequendi? Continetur enim verbis Ioanneis vel exspectationis Pharisaeorum illorum et Sadducaeorum temerariae *reprehensio*

grauis, interrogatione enuntiata, quae negationem (vt ſaepius fieri ſolet) exprimit: quis tandem ſpem vobis fecit (inanem), fore vt poenam inſtantem diuinam effugiatis, niſi animum emendaueritis (vera quippe μετάνοια poenam diuinam euitari poſſe Ioannes ipſe verbis ſequentibus V. g. innuit)? ſ. temere agit, ſi quis eiusmodi ſpem in animis veſtris excitauerit; vel *oratio minabunda*: quis tandem vobis modum oſtendit poenae diuinae inſtantis (per me) effugiendae? quis tandem vos cohortatus eſt, vt me adiretis, atque peccata veſtra profeſſi, lauacro ſacro immergeremini? mirum eſt, quod vos, homines ſuperbi, qui aliorum doctores exiſtimari velitis, eiusmodi conſilium ceperitis; vel negatio ſimplex, interrogando prolata: quis vnquam aliam rationem poenae diuinae effugiendae (praeter veram animi emendationem) vos docere poſſit? ſ. nemo vnquam aliam ſalutis verae praeſidia vobis monſtraturus eſt.[2] Poſtrema ratio partim a ſignificatione propria formae ὑπέδειξεν (ad tempus praeteritum ſpectantis) deflectit, partim ſermonem Ioanneum nimis tranquillum reddit atque placidum, neque adfectui accommodatum, quem reliqua omnis ſpirat oratio. Efflagitant autem leges explicationis pſychologicae (quae quantum valeat, ex-

2) Paulo contortior eſt *Heumanni* interpretatio (Erklärung des N. T. Vol. I. p. 20.) cui Ioannes haec docuiſſe videtur: Vos minime doctorum veſtrorum auctoritate lauacrum meum ſacrum adiiſtis, Spiritus diuinus vos impulit, vt de numine diuino vobis placando cogitaretis.

emplo huius loci demonstrare liceat) vt effato, quod interpretemur, eiusmodi sententia vindicetur, quae sensui scriptoris siue oratoris et adfectui conueniat ex reliqua sermonis serie eluceſcenti. Proinde quum verba γεννήματα ἐχιδνῶν itemque, quae v. 8. et 9. sequuntur, palam doceant, Ioannem baptistam grauiter *indignatum esse* Pharisaeis atque Sadducaeis, summae quidem morum peruersitati indulgentibus, neque vero errores suos et vitia agnoscentibus, sed conditione sua externa temere superbientibus, persuasissimum mihi habeo, Ioannem verbis: τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν etc. neque simpliciter tantum negasse, vllam esse rationem poenae diuinae effugiendae praeter veram animi emendationem, neque animum significasse mirantem, quod Pharisaei illi atque Sadducaei ad lauacrum ipsius subeundum propius accessissent (siquidem oratio mirabunda omnino aliquid habitura esset, quod ad homines illos, quorum animum in solo ritu baptismi externo acquiescentem Ioannes grauiter vituperandum censuit, laudandos faceret.) Immo baptista pro ea, quae tum obtinuit, ipsius animi conditione, praeeunte orationis serie, nonnisi grauiter vituperare[3]) potuit spem vanam, quam homines illi conceperant, fore, vt solo baptismo subeundo, absque vlla animi morumque immutatione a poena diuina euaderent immunes. Quodsi de sensu effati hoc modo iudicatum fuerit, facile in-

3) Eandem interpretationem Ill. *Kuinoelio* probatam video (comment. in Matth. ad h. l.)

telligemus, (quam probe verſui 7. per voculam οὖν adnexa fuerint, quae iam ſequuntur, v. 8. ποιήσατε οὖν καρπὸν ἄξιον 4) τῆς μετανοίας: *edite fructum* (reſpondet quippe phraſis ποιειν καρπον hebraicae עֹשֶׂה פְּרִי Geneſ 1, 12.) *mentis emendationi dignum* (i. e. animo vere emendato accommodatum) facta edite proba et honeſta, qualia ex animo vere emendato proficiſcuntur. Neminem latet imago fructuum ad facta hominis translata, ſiquidem facta ex aliqua mentis indole et conditione prodeunt. Ceterum ad totam phraſin illuſtrandam cfr. Actt. 26, 20. ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσειν. Nexus autem vtriusque commatis, ſingulis iam explicatis, omnino ita poteſt explanari, vt voculam οὖν neque ad pleonaſticam loquendi rationem referre, neque aliter, quam vulgo adhiberi ſoleat, interpretari cogamur: quis tandem ſpem vobis fecit fore, vt tales (quales nunc eſtis) poenam diuinam effugiatis? Fruſtra ſperatis. Edite *igitur*, ne fruſtra ſperetis, facta, quae animum prodant vere emendatum. Huic autem ſtudio animi immutandi opponitur iam vana arrogantia Iudaeorum, praerogatiuis externis ſuperbientium v. 9. Καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς· πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ. Vix eſt, quod moneam, formulam λέγειν ἐν ἑαυτῷ omnino redolere hebraiſmum notiſſimum: loqui aliquid ſecum I. in animo ſuo i. e. tacite ſecum cogitare, per-

4) καρπὸν ἄξιον auctoritate codd. praeſtantiſſimorum verſionumque vett. recte legi pro vulgari καρποὺς ἀξίους B. *Griesbach* docuit in apparatu critico ad h. l. atque in comment. crit. in textum graec. N. T. part. I. p. 24.

pendere (cfr. Pſ. 10, 6. Eſth. 6, 6.) De verbo quidem δοκεῖν diſſentiunt interpretes. Res ipſa prohibet, quo minus haec vertantur: nolite videri ita vobiscum cogitare etc. Etenim, quod Phariſaei illi atque Sadducaei omnino que Iudaei peruerſi temere ſtatuiſſe dicuntur, ſalutem regni diuini ipſis, Abraami poſteris, prae ceteris deberi, non tantum cogitaſſe viſi ſunt, ſed vere cogitarunt. Friget oratio Ioannis, ſi haec interpretatio admiſſa fuerit. Plerique interpretes vb. δοκεῖν h. l. prorſus abundare exiſtimant, verſione nulla exprimendum. Quanquam vero huius pleonaſmi exempla plura obueniunt (cfr. Marci 10, 42. Weiske in libro: Pleonaſmi graeci p. 92. 93.) nolim tamen in hoc ſermone Ioanneo, cuius ſingula fere verba vim ſuam habent atque grauitatem inſignem, ex animi loquentis adfectu oriundam, eiusmodi phraſin pleonaſticam admittere[5]). Praeſtat, opinor, veram huius effati ſententiam ex eo loquendi vſu Graecorum repetere, quo formula δοκῶ μοι ſequente infinitiuo ita ponitur, vt

---

5) Prouocatum quidem eſt ad locum Lucae parallelum 3, 8, vbi Ioannes ὄχλους congregatos ita alloquutus fuerit, vt pleonaſmo ἄρχεσθαι λέγειν pro ſimplici λέγειν vteretur: καὶ μὴ ἄρχησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς· πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ. Neque vero illud ἄρχεσθαι h. l. plane otioſum dixerim. Licet enim ad noſtrum quoque effatum transferre, quae *Weiske* in pleonaſmis graecis p. 86—87. veriſſime monuit, vb. ἄρχεσθαι alius verbi infinitiuo interdum ita iungi, vt actionem, quae altero verbo exprimatur, *ſtudioſe* et cum contentione quadam *continuatam* aut *iteratam* intelligi oporteat.

significet i. q. placet mihi, aliquid facere. Cfr. Platonis Phaedrus c. 10. p. 200. edit Heindorf. (Platonis dialogi quatuor Lysis, Charmides, Hippias maior, Phaedrus annotatione perpetua illustrauit Heindorf, Berolini, 1802.) Ἐγὼ μέν μοι δοκῶ κατακείσεσθαι, vbi editor eruditus in notis loca plura attulit simillima. Cfr. insuper Actorum c. 26. v. 9. ibique interpretes. Neque obstat, quod sermo Ioanneus, hac ratione probata, non satis integer appareat, quum ita scribi debuisset: καὶ μὴ δόξητε ἑαυτοῖς λέγειν ἐν ἑαυτοῖς. Poterat quippe prius ἑαυτοις propter verba seqq. ἐν ἑαυτοῖς facile omitti atque lectoribus relinqui subintelligendum. Cfr. ellipsis simillima 1 Corinth. 7, 40. δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα θεοῦ ἔχειν (pro: δοκῶ δὲ κἀγὼ ἐμοι πν. θ. ἔχειν). Platonis Apologia Socratis c. 23. p. 136. edit. Fischer. recent (δοκοῦντας μέν τι εἶναι). Egregie Ioannes verbis sic intelligendis superbiam notauit vanam multorum Iudaeorum in eo conspicuam, quod sese propter Abraamum ceterosque patriarchas probos Iehouae dilectissimos existimauerint, emendatione nulla indigentes, tanquam si Iehouam propter Abraami pietatem posteros eius omnes, seu probi fuerint, seu improbi, fauore suo complecti oporteat: *neque vobis placete*[6]) *ita cogitantes: est nobis Abraamus gentis auctor.* Reprehenditur eadem peruersa iudicandi ratio,

6) Eandem interpretationem arrisisse video *Heddaeo* (das Evangelium des heil. Matthäus aus dem Griechischen übersetzt und erläutert, erstem Theile, S. 85.) etsi argumenta huius interpretationis philologica ipse non indagauerit.

quam Iesus in ev. Io. 8, 53 sqq. grauiter inprobauit. Quemadmodum Iesus l. l. egregie docet, quare Iudaei pro sua animi peruersitate nequeant Abraami soboles sensu appellari perfectissimo, ita Ioannes, quam temere Pharisaei et Sadducaei confidant, nihil ipsis, Abraami posteris, metuendum esse, immo fausta quaevis exspectanda, nulla quidem argumentatione docta adhibenda, sed effato breuissimo, intelligentiae populari accommodato, quod vim habet et grauitatem haud exiguam, ostendit: λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ: adfirmo enim vobis, posse Deum vel ex hisce lapidibus posteros (alios) Abraamo excitare (τεκνα εγειρειν i. q. הָקִים זֶרַע, efficere, vt alicui liberi s. omnino posteri nascantur, Genes. 38, 8. Luc. 1, 69.)[7]. Digito monstrans lapides adiacentes nihil, inquit, est, quod Deum cogere possit, vos (Iudaeos) solos tanquam veros Abraami posteros tractare summisque ornare beneficiis. Immo, si numini omnipotenti placuerit, confestim aliunde homines excitare poterit vobis praestantes, Abraami similiores, quos fauore suo dignos iudicet.

---

7) Ingeniose quidem coniecit *Bolten* (Bericht des Matthäus von Jesu dem Messias, Altona, 1792. p. 46 sq.) praepositionem ΕΚ h. l. vim habere praefixi hebr. מ quod subinde comparatiuo exprimendo inseruiat (Hoseae c. 6. v. 6. Jerem. c. 5. v. 3.) hoc sensu: adfirmo vobis, posse Deum Abraamo posteros excitare hisce lapidibus copiosiores. Desideramus vero loca idonea, quae probent, graecum εκ vnquam fuisse sic adhibitum.

Addit ſententiam grauiorem, certo metuendum eſſe Iudaeis poenam acerbiſſimam, niſi animum emendauerint, quum tempus proxime inſtet, quo ſceleſti omnes atque improbi a probis Iehouae cultoribus remoueantur. Id quod imagine enuntiatur Hebraeis familiari. Comparantur quippe homines mali haud raro cum arboribus malis ſ. vilioris indolis, quae fruges bonas vtilesque nullas proferant. Cfr. Pſ. 1 Matth. 7, 17. ſqq. Pergit v. 10. ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται· πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται. Iam ſecuris inſtat arborum radicibus ita vt, quaecunque arbor fructus bonos (quales eſſe debent, integros, maturitatis iuſtae) non ediderit, excidatur, et flammis tradatur. Omnia iam parata ſunt, vt puniantur, qui poena digni apparuerint. Quae iam ſequuntur v. 11. plures huius capitis interpretes (v. c. Kuinoel Comment. hiſtor. in libros N. T. Vol. I. p. 91. editionis recentioris et Paulus: *Commentar über das N. T.* Vol. I. p. 296.) noluerunt ad eundem Ioannis baptiſtae ſermonem referri, cuius partem Matthaeus v. 7—11. exhibuiſſet, immo effata, quae Ioannes temporibus diuerſis pronuntianerit, h. l. coniuncta eſſe iudicarunt, ſiue Matthaeus ipſe, breuitatis ſtudioſus, ſermones diuerſos propter aliquam eorum ſimilitudinem ad vnum eundemque retulerit, ſiue effata illa hac ſerie coniuncta in documento hebraico ſ. ſyro-chaldaico, quo tanquam fonte vſus eſſet, deprehenderit. Prouocarunt quippe ad loca Ev. Ioannis c. 1. v. 25. ſeq. et Lucae c. 3. v. 15. Priori quidem loco Ioannes baptiſta legatis ſy-

nedrii, qui ipsum interrogassent, quonam consilio, et, quanam auctoritate homines lauacro sacro obstringeret, quum neque auctoritatem Messiae sibi vindicaret, neque Eliam sese gereret (quem Iudaei vulgo dicerent in vitam esse rediturum, atque Messiae viam paraturum) v. 26. haec respondisse narratur: ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι· μέσος δὲ ὑμῶν ἕστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος, ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος. Quamquam hoc effatum iis, quae apud Matthaeum leguntur, omnino conferre licet, siquidem Ioannes baptista vtroque loco dignitatem eximiam, qua Messias ipsi multum praestiturus sit, formulis similibus declarat; nolim tamen ex his colligere, verba apud Matthaeum obuia ex eo sermone baptistae esse desumta, cuius proferendi opportunitatem quaestio illa dederit a legatis synedrii (teste Ioanne) excitata. Vtrumque effatum ab altero differt, quum baptista loco Matth. Messiam proditurum simpliciter eum appellet, qui post ipsum proditurus sit, apud Ioannem vero addat, eundem iam versari inter Iudaeos, itemque loco Matthaei vim insignem, et efficaciam, qua Messias ipsi multum praestiturus sit, formula βαπτισει υμας πνευματι etc. accuratius describat, sed apud Ioannem in eo acquiescat, vt profiteatur, se indignum esse, qui calceorum eius corrigias soluat. Neque vero mirum cuiquam videri poterit, quod Ioannes baptista, cuius mens tota omnino inbuta esset persuasione firmissima eademque viuidissima de auctoritate summa et efficacia saluberrima Seruatoris a Deo legati, temporibus diuersis iterata vice formulis simi-

libus vsus fuerit, illam Messiae dignitatem nuntiantibus. Posterius effatum (Lucae 3, 15.) loco Matthaei omnino tam accurate congruit, siue ad verba singula, siue ad seriem versuum antecedentium et sequentium (Matth. 3, 7—11. Luc. 3, 7—9. Matth. 3, 12. Luc. 3, 17.) respexeris, vt in his parallelismum verbalem pariter atque realem iure meritoque agnoscamus, licetque Matthaeum ex Luca illustrare, quum pateat, Lucam profecto narrationem eorum, quae Ioannes baptista dixerit, copiosius et amplius, quam Matthaeum, esse persequutum. Iam teste quidem Luca v. 15. Ioannes baptista dicendis iis, quae Lucas 3, 16. et Matth. 3, 11. exhibent, satisfacere voluit desideriis Iudaeorum multorum, qui secum cogitabant, num forte Ioannes ipse esset Messias, omninoque, quid hac de re statuendum esset, ignorabant. Neque vero inde sequitur, Matthaeum (qui effatum Ioannis, de quo sermo est, ita attulerit, vt de consilio illo, quod baptista his dicendis consequi voluerit, nihil praemitteret) vno eodemque sermone coniuncta suppeditasse, quae Ioannes nequaquam vno eodemque tempore enuntiauerit. Quis enim neget, potuisse baptistam vno eodemque tempore sermonem suum ad auditores varios conuertere, ita vt partim Pharisaeos illos et Sadducaeos, quos accedere vidisset lauacrum ipsius sacrum subituros, seperatim a Matthaeo c. 3. v. 7. commemoratos, apud Lucam vero c. 3. v. 7. formula latius patente ὀχλοι ἐκπορευόμενοι comprehensos grauiter notaret, partim votis eorum, qui de consilio, quo Ioannes baptista prodiisset,

eiusque auctoritate accuratius edoceri vellent, apud Lucam c. 3. v. 15. seperatim commemoratis satisfaceret? Neque verba apud Matth. c. 3. v. 11. 12. obuia nexu destituuntur commodo, quo antecedentibus iungantur. Immo, quae v. 10. de poena nuntiauerat grauissima omnibus instante, qui de animo vere emendando serio cogitare noluerint, egregie iis cohaerent, quae v. 11. 12. de Messia proferuntur, qui, vbi venerit frumentum in granario collecturus sit, paleam vero igni non extinguendo crematurus (i. e. eos, qui emendari voluerint, emendaturus et saluos praestiturus, ceteros, qui resipiscere noluerint, poena grauissima adflicturus). Sic enim pergit v. 11. ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν· ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἰσχυρότερός μού ἐστιν, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι· αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. Duplici quidem sensu praepositionem εἰς in membro priore huius commatis obuiam interpretari licet, vel ita, vt consilio significando inseruiat: propterea aquae vos immergo, vt resipiscatis (vt animum vestrum lotione corporis, quae purgationem internam symbolice declaret, emendationi vere perficiendae obstringatis) vel eo sensu, quo subinde accusatiuo iungitur, vbi aliquis ratione huius aut illius rei aut personae habita aliquid fecisse dicitur (v. c. Matth. 10, 41. 42.): aquae vos immergo ratione emendationis vestrae futurae habita. Facile tamen intelligimus, sententiam primariam omnino eandem esse, apparituram. Opponit sibi Ioannes eum, qui post ipsum esset proditurus, τὸν ὀπίσω ἐρχόμενον (i. q. ἐλευσόμενον),

Ille, inquit, ἰσχυρότερός μου ἐστιν (ἐσται), me robustior, potentior venturus est, multum mihi praestabit summa, quam in homines exferat, vi et efficacia. Eodem fere sensu voc. ἰσχυρος ad ipsum Deum transfertur Apocal. c. 18 v. 8., iam vero accuratius, quo sensu hoc epitheton Messiae prodituro vindicanerit, declarat iis, quae sequuntur οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς etc. De more veterum, calceos, inprimis si forte puluere consperſi essent, pedibus detrahendi, priusquam conaculum aliquod aut conclaue ingrederentur, eosque deruis tradendi, quibus negotium incumberet, calcamenta post dominos ferendi, eademque asseruandi, quo confestim in promtu essent, si forte domini iis indigerent, iam satis docte et subtiliter ab aliis est expositum (cfr. *Wetstein* in comment. ad h. l.) ita vt facile patear, verbis baptistae hoc ineſſe: me dignum quidem me sentio, qui Messiae post me prodituro ministeria viliſſima (seruilia) praestem. Tam pia quippe et sancta Seruatoris diuini mox prodituri veneratio animum baptistae tenuit, iam augurantis futuram illius efficaciam, vt vix posset verba deprehendere iis, quae intus sensit, declarandis idonea. Vberius hanc efficaciam verbis enuntiat quae locum dederunt diuersissimis interpretandi tentaminibus: αὐτὸς ὑμᾶς etc. In ipso quidem vb. βαπτιζειν interpretando omnes profecto consentiant necesse est, h l. tropice esse intelligendum, quaecunque tandem formulae πνευμα αγιον et vocabuli πυρ interpretatio probata fuerit. Docet vero vsus loquendi, vb. βαπτιζειν ab auctoribus sacris pariter atque profanis subinde ita adhi-

beri, vt significet i. q. aliquem re quadam imbuere, s. largiter ei aliquid suppeditare (cf. ex libris N. T. do. ex. 1, 33. Actt. 1, 5. 11, 16. vbi eadem phrasis recurrit βαπτιζειν εν πνευματι αγιω, atque ex profanis auctoribus, quos laud. *Wetstenius* ad Matth. 20, 23. atque *Doruillius* ad Charit. l. 2. c. 4.) itemque de malis dici, molestiis, calamitatibus, quibus homo obruatur et veluti immergatur (cf. Lucae ev. 12, 50. Plutarchi Paedag. c. 13. *B. Loesneri* obseruatt. Philom. p. 6) Item in promtu est, phrasin: αυτος υμας etc. aliquid de Christo praedicare, quod verbis *opponatur* superioribus: εγω μεν etc. quibus Ioannes professus fuerat, se Iudaeos αυαε (fluctibus Iordani) immergere s. his fluctibus largiter tingere (obtinuit quippe antiquissimis temporibus haec ratio baptismi, vt homines fere toti aquae immergerentur). Diuersimode vero cum de πνευματι αγιω tum de πυρι recte intelligendo iudicatum est. Quod prius quidem attinet, vsurpatur haec phrasis in libris N. T. sensu duplici, quum aliis quidem locis ipsum Spiritum diuinum innuat, aliis vero de donis, beneficiis, effectis variis Spiritus diuini adhibeatur. Quonam igitur sensu Ioannes hoc loco nuntiauit, fore, vt Messias hominis Spiritui diuino (s. donis et effectis πνευματος αγιου quaecunque tandem fuerint) immergeret i. e. Spiritu div. largiter tingeret (instrueret)? [8])

8) Fuerunt, qui negarent, illa πνευματι αγιω separatim esse interpretanda, eademque (de figura εν δια δυοιν cogitantes) verbis και πυρι propius connecti vellent. Quare vero ho-

Cogitauerunt omnino haud pauci interpretes de dotibus Spiritus div. extraordinariis, partim in Apoſtolos, partim in alios Chriſtianos antiquiſſimorum temporum collatis, Ioannem prophetam *ea potiſſimum euenta futura* innuiſſe exiſtimantes, de quibus Lucas in *Actis* c. 2. in. expoſuerit. Verum, vt largiar, potuiſſe Ioannem haec praedicere, Spiritu diuino inſtructum, quaerere tamen liceat, quid tandem fuerit, quod illo tempore, coram eiusmodi auditoribus, quales ſermonem Ioannis in deſerto docentis perciperent, ea pronuntiaret, quae ad legatos Seruatoris futuros eosque ſolos reſpicerent? Reſpondit quidem auctor doctiſſimus obſeruationum, de programmate meo ſcriptarum, quae inſertae leguntur diario: *Marburger neue theologiſche Annalen. September und October* 1815. p. 719. ſqq. non ſolis Apoſtolis ſed aliis quoque primorum Chriſtianorum dotes ſpiritus diuini contigiſſe extraordinarias. Recte. Nonne vero illa potiſſimum euenta inſignia, vocabulo πνοὴ ſecundum hanc interpretationem indicata, in Actis c. 2. v 3. enarrata profecto ad ſolos pertinuerunt Apoſtolos? Deinde, quanquam dubio caret, ad dona Spiritus diuini, cuius vim et efficaciam ſingularem Apoſtoli ab eo inde tempore experti fuerint, de quo Actorum c. 2. agitur, dotes quoque pertinuiſſe extraordinarias, ipſosque prophetas He-

---

rum interpretum ſententiae admitti commode nequeant, ex iis patebit, quae de vocibus καὶ πνοὴ diſputare conſtituimus.

braeorum eiusmodi tempus nuntiasse, quo Deus Spiritu suo effundendo mira et insolita esset perfecturus (cfr. Actt. c. 2. v. 13 sqq.); nihil tamen video, quod formulam πνευμα ἁγιον vel c. 2. Actorum v. 4. vel c. 1. v. 5. (vbi Iesus ad Apostolos haec eloquitur: ὅτι Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας) limitibus angustis coërceri iubeat, atque impediat, quo minus vocem illam de quauis Spiritus diuini efficacia saluberrima ad animos spectante pariter atque de dotibus miraculosis interpretemur. Maluit V. *Rosenmüller* in scholiis ad h. l. το πνευμα αγιον ad *documenta* referre luculentissima *potestatis diuinae* Christo conceptae, ille vobis vim suam diuinam documentis luculentissimis demonstraturus est s. ille vos totos cognitione potestatis diuinae ipsi concessae inbuet. Neminem quippe fugit, litteras sacras saepenumero praedicasse πνευμα ἁγιον, quod Christum iuuerit (v. c. ad Romm. 1, 4.) Similis est eorum ratio, qui *doctrinam diuinam ipsam* intelligi volunt (cfr. Ill. *Kuinoel* commentar. in libros N. T. historicos Vol. 1. ad h. l.): Messias doctrina sua coelesti inbuet eos, qui disciplinae eius se tradiderint. Desideramus vero exempla idonea, quae probent, phrasin πνευμα ἁγιον ex more loquendi N. T. hoc sensu vsurpatam esse. Apud Ioannem quippe ev. 3, 5. 6, 63. (quae loca in comment. Kuinoelii ad hanc sententiam probandam laudata sunt) satis commode ad notionem refertur vniuersam efficaciae, quam Spiritus div. habeat, saluberrimae. In epistola vero ad Ephesios c. 5. v. 18. orationis series docet, πνευμα de sensu dici pie-

tatis per Spiritum div. oriundo, itemque c. 6. v. 17. πνεῦμα nequaquam pro *doctrina* ponitur, immo ῥῆμα θεοῦ (doctrina diuina) tropice appellatur μάχαιρα πνεύματος, enſis animi, i. e. μαχαιρα πνευματικη, ſiquidem, quem vſum enſis corpori defendendo, eundem animo humano doctrina praeſtat diuina, animum immunem ſeruando ab erroribus et vitiis. Veram, opinor, baptiſiae mentem perſpexerunt, qui ſanctimoniam intelligunt (cfr. V. *Paulus* in comment. ad h. l.) ſiue *totam animi conditionem praeſtantiorem, qua homo gaudet perſuaſioni vere Chriſtianae conciliatus, atque per doctrinam chriſtianam emendatus.* Dicitur ea πνευμα αγιον, quum ipſe Dei Spiritus in animo humano perfectiorem illam cogitandi ſentiendique rationem efficiat (1 Corinth. 3, 16. 6, 19. al.) Quamquam enim vſus formulae πνευμα αγιον omnino latius patet (vt ſupra innuimus) ita vt Ioannes h. l. de quibusuis Spiritus diuini effectis cogitaſſe exiſtimari poſſit; malim tamen ſignificationem, quam dixi, anguſtiorem ideo praeferre, quod tota haec oratio (v. 7—12.) doceat, Ioannem animum ſuum praecipue ad cogitationem defixiſſe immutationis (emendationis), quam ſubire debeant, quicunque ſalutem regni diuini conſequi voluerint. Neque video, quanam interpretationis lege *quouis loco*, vbi πνευμα αγιον occurrit, de *omnibus omnino* cogitare iubeamur, quae vnquam hac voce in libris N. T. comprehenſa fuerint. Quod vero poſterius attinet και πυρι, eo maior exiſtit interpretationum huius phraſeos diuerſitas, quo frequentius apud ſcriptores et veteres et recentiores vocabuli πυρ vſus

fieri ſolet tropicus idemque diuerſiſſimus. 9) Ac primum quidem plurimi eorum, qui in ſignificatione vocabuli πυρ propria acquieſcendum exiſtimant, de flammulis igneis cogitari volunt, quae, tanquam ſymbola rei inuiſibilis (Spiritus diuini), ſuper capitibus apoſtolorum apparuerunt, quo tempore ſingularem experiri coeperunt Spiritus diuini efficaciam Actt. c. 2. v. 3. (cfr. v. c. *Brentius* in comment. ad Lucam p. 125. *Wolfius* in curis ad h. l. *Heumann: Erklärung des N. T.* Vol. I. ad h. l.) Verum enimuero, quum hoc euentum ad ſolos pertinuerit

---

9) Deſiderantur quidem verba και πυρι in codicibus haud paucis, nonnullisque verſionibus, neque ab omni veritatis ſpecie abhorret, quod nonnulli coniecerunt, ῥησιν illam perperam in textum irrepſiſſe, ſiue ex loco Lucae parallelo 3, 16. in noſtrum translata fuerit, ſiue eam lectores atque gloſſatores ex vſ. 10. aut 12. (vbi του πυρος mentio facta eſt) adiecerint, baptiſmo aquae baptiſmum ignis opponi debere exiſtimantes. Aeque tamen patet, fieri potuiſſe, vt verba και πυρι, etſi a manibus euangeliſtae omnino profecta fuiſſent, conſulto tamen omitterentur, ſiue hoc aliis locis praecuntibus factum ſit, vbi baptiſmus εν πνευματι ita commemoratur, vt nihil dicatur de πυρι (Io. 1, 33. Actt. 1, 5.) ſiue ea de cauſa, ne ex hoc loco argumentum peterent, qui poſt baptiſmum vſtionem aliquam adhibendam iudicaſſent (cfr. *Pfaff* de genuinis N. T. editionibus p. 198.) ſiue (id quod B. *Griesbach* in comment. crit. in textum gr. N. T. partic. I. p. 27. probabiliter coniecit) propter lectionem eccleſiaſticam poſt πνευματι αγιω finitam, ne triſtis eſſet lectionis clauſula. Quae cum ita ſint, acquieſcendum exiſtimo in auctoritate codicum antiquiſſimorum et praeſtantiſſimorum, qui vna cum plerisque verſionibus vetuſtis phraſin και πυρι tuentur. Cfr. *Griesbach.* loco laud.

Apostolos, non video, quomodo baptista *vniuerse* haec nuntiare potuerit: αυτος ὑμᾶς βαπτισει etc.? An forte dicamus, quod nuperrime *Censor* eruditus commentarii a *Kuinoelio* editi in ephemeridibus litterariis Halensibus a. 1812. (N. 172. sqq.) coniecerat, Matthaeum atque Lucam, quum verba και πυρι sermoni Ioanneo adderent, vaticinio Ioanneo βαπτισει υμας εν πνευματι αγιω interpretationem ex ipso euentu (Actt. c. 2.) desumtam adiecisse? Nolim equidem huius coniecturae vsum facere, quamdiu alia locum habere potest totius formulae interpretatio argumentis haud destituta. Significationem propriam vocabuli πυρ ii quoque teniuerunt, qui baptistam *de incendio* cogitasse existimant, *quo hoc vniuersum olim conflagraturum sit* (cfr. *Coleri* Theol. bibl. parte 30. p. 483.) Obstat, quod litterae sacrae nunquam tradunt, Messiam huius incendii *auctorem* esse futurum, etsi omnino Petrus in ep. II. c. 3. v. 10. docuerit fore, vt tempore, quo Iesus Christus redierit, corpora coelestia igne consumta dissoluantur, atque terra cum operibus suis exuratur. Neque Ioannes baptista de tota rerum vniuersitate, eiusque sorte futura, sed de *hominibus* igni veluti immergendis loquitur. Sed etiam tropica phraseos interpretatio non vno modo instituta est. Ita plures verbis και πυρι aliquid inesse iudicant, quod baptismum illum πνευματος antea commemoratum tropice vberius describat, eiusque summam declaret efficaciam, sententiam totius effati his fere verbis explicantes: ego quidem aquae vos immergo, vt mentem emendetis, Messias vero post me proditu-

rus *Spiritu diuino vos inbuet, qui veluti ignis euadet* i. e. qui mentes veſtras ignis inſtar illuminabit atque incendet (ad quaeuis ſancta et honeſta cogitanda, ſentienda, peragenda potentiſſime excitaturus eſt.) Meum eſt, luſtrationem illam futuram nuntiare, eamque ſymbolice (baptiſmo aquae) declarare; ille vero rem ipſam perficiet Quemadmodum ignis aqua multo eſt potentior, ita Meſſiae prodituri efficacia multum praeſtabit iis, quae ipſe inter homines perficio. Cfrr. interpretes a *Wolfio* in curis ad h. l. laudati itemque ex recentioribus *Thieſs: neuer kritiſcher Commentar über das N. T.* Vol. I. p. 52. et *Stolz: Erläuterungen zum neuen Teſtament erſtem Heft* p. 99, ſq. Etſi haec ratio eo defendi poſſit, quod ignis ſ. flamma apud veteres ſymbolo praeſentiae ſ. efficaciae numinis diuini Spiritusue diuini inſeruierit (cfr. interprr. ad Actt. c. 2. v. 3.) nequeo tamen mihi perſuadere, baptiſtam hoc loco atque tempore, praeſentibus haud paucis, ab emendatione vera prorſus alienis, de quibus ſperare non liceret, fore vt homines euaderent Spiritu diuino luſtrati, ad Iudaeos circumſtantes vniuerſe ſic loquutum eſſe: Meſſias vos luſtrabit Spiritu ſancto, animos veſtros inflammaturo. Accedit, quod voce πυρ v. 10. pariter ac v. 12. poena depingitur, quae hominibus inſtat reſipiſcere nolentibus. Eadem de cauſa nolim cum quibusdam interpretibus ſub πυρι eas intelligere calamitates, quas Deus haud raro probis ipſius cultoribus immittat, virtutem eorum tentaturus et confirmaturus, veramque animi ſalutem adiuturus (quem vſum vocabuli tropicum *Glaſſius*

illuſtrauit in philologia ſacra l. 5. tract. 1. c. 10. p. 1220. editionis, quae Francofurti et Lipſiae a. 1691. prodiit). Cfr. *Menken Betrachtungen über das Evangel. Matthaei erſter Bd. Frankfurt am Mayn*, 1809. p. 134. ſq. Propius ad veritatem acceſſerunt, qui Ioannem verbis και πυρι *infortunia* nuntiaſſe exiſtimant et *calamitates* propter ſummam morum peruerſitatem *ciuitati Iudaicae inſtantes*, inprimis *excidium ac deuaſtationem Hieroſolymarum* triſtiſſimam. Cfrr. *Keuchenius* in notis ad h. l. *Wettſtenius* in comment. ad h. l. *Olearius* in obſeruatt. ad Matth. p. 91. Henr. Aug. *Zeibich* in commentatione: Ioannis vaticinium de baptiſmo Iudaeorum igneo, Gerae, 1781. 8. Sed, quo tandem argumento comprobare licet, Ioanni h. l. illius potiſſimum infortunii imaginem ante oculos eſſe obuerſatam? Alia quippe effata, quibus baptiſta euerſionem Hieroſolymarum nuntiauerit, exſtant nulla. Neque hanc ſententiam ſatis commode eo defendi exiſtimauerim, quod hiſtoria doceat, in excidio vrbis Hieroſolymitanae eiusque templi triſtiſſimo flammas ſaeuiiſſe, ideoque hoc infortunium, ſignificationis vocabuli πυρ cum propriae tum tropicae ratione habita, baptiſmus ignis appellari potuerit. Intelligimus quippe ex v. 10. ac 12. baptiſtam h. l. potius de tropica vocabuli poteſtate cogitaſſe et cogitari voluiſſe. Maluerunt igitur alii in vniuerſa notione *poenarum diuinarum* acquieſcere, quam Ioannes imagine ab igne deſumta enuntiauerit, vt partim ſummam poenae, qua Meſſias, Deo volente, Iudaeos immorigeros et reſipiſcere nolentes adflicturus

esset, acerbitatem exprimeret, partim audientes ad consilium attentos redderet, quod Messias hac in re spectaturus esset, homines immorigeros a ceteris emendationem admittentibus separandi, atque ita ciuitatem purgandi Iudaicam. Cfrr. S. V. *Rosenmüller*, *Paulus* et *Kuinoel* ad h. l. [10]) Ipse loquendi vsus Hebraeorum hanc rationem eximie commendat, siquidem ignis in libris antiqui foederis, maxime propheticis, haud raro symbolo inseruit poenarum diuinarum (cfr. Malach. 3, 1. sqq. Ies. 5, 24. 61, 2. 66, 15. 24. ex quo quidem loco formula sollennis Hebraeorum seriorum: Deus homines igne inbuit, i e. poenis adficit grauissimis, originem duxisse videtur) neque loca desideramus in scriptis prophetarum obuia, quibus

10) Eandem rationem *Bolten* complectitur: *Bericht des Matthäus von Jesu dem Messias* (*Altona* 1792.) p. 47. ita tamen, vt verba quoque priora πνευματι αγιω ad eandem *poenae diuinae* comminationem referenda existimet: ille, vi diuina adiutus, poena vos adficiet grauissima, *er wird euch aus göttlicher Kraft mit Feuer taufen.* Verum, vt taceam, si verba πνευματι αγιω sic intellecta fuerint, voculam seq. Και omnino difficultatem aliquam facessere interpreti, ac prorsus otiosam apparere, alia obstant effata, quibus formula βαπτιζειν s. βαπτιζεσθαι εν πνευματι sic adhibetur, vt luculentissime pateat, verbis: εν πν. αγιω minime eam describi efficaciam diuinam, quae in poenis immittendis conspicua sit futura (Actt. 1, 5. 11, 16. Io. 1, 33.) Laetatus sum, quum nuper intellexissem, eandem fere totius effati interpretationem, quae mihi probata fuerit, B. *Jahnio* probatam esse in diario V. *Bengelii*: *Archiv für die Theologie* 2. *Bandes* 1. *Stück.* S. 83. sqq.

nuntietur, fore vt Deus, homines inprobos puniendo, eosdem a probis seiungat, quemadmodum metalla ignis ope purgari soleant, v. c. Iesa. 1, 25. Iam vero tota orationis series, quantum equidem video, suadet, immo efflagitat, vt cogitatio illa poenarum diuinarum h. l. terminis paulo angustioribus comprehendatur. Versu quippe 12. haec sequuntur: οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλῳνα αὐτοῦ· καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποθήκην, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ: qui manu ventilabrum (instrumentum frumento purgando idoneum) tenet, quo aream suam (s. potius frumentum in area repositum) purgabit, et frumentum quidem suum in granario (cfr. Matth. 6, 26) colliget, paleam vero igni non extinguendo cremabit. Messias, ciuitatem purgaturus, probos ab inprobis separaturus, coetumque hominum ipsi sacrum, dilectum, salute regni Messiani ornandum conditurus homini comparatur frumentum in area congestum ventilabri ope expurganti, paleamque (s. stramen) a frumento bono seiungenti. Quemadmodum dubio caret, stramen (ἄχυρον) h. l. Iudaeos innuere, qui resipiscere atque Messiae obsequi noluerint, ideoque salute regni Messiani prorsus indigni sint apparituri, ita in promtu est, poenam diuinam eamque grauissimam nuntiari his immorigeris instantem, quum Messias paleam illam igni dicatur crematurus. Neque vero simpliciter igne, sed πυρὶ ἀσβέστῳ (igne, qui nunquam extinguatur, i. q. αἰωνίῳ) palea illa dicitur conflagratura. Patet, baptistam minime de calamitatibus huius saeculi iisque praetereuntibus, sed de *poenis*

ſaeculi futuri iisque aeternis cogitaſſe. Lucem his adfundit parabola ipſius Ieſu Chriſti notiſſima Matth. c. 13. v. 24—30. inprimis v. 30. vbi ipſe nuntiat, ſe per meſſores curaturum eſſe (ſub finem huius ſaeculi) vt lolia colligantur et manipulis vinciantur comburenda, ſegetes vero in horrea ipſius referantur. Quem ſermonem parabolicum v. 41. ita interpretatur, vt aperte dicat, in fine huius ſaeculi homines inprobos per genios coeleſtes ab ipſo mittendos collectum iri et in fornacem ardentem (εἰς κάμινον τοῦ πυρός) coniectum, vbi fletus futurus ſit ſtridorque dentium (miſeria ſumma), ſed probos omnes veluti ſolis ſplendore in regno diuino fore conſpicuos. Conſtat item Seruatorem haud raro notionem poenarum ſaeculi futuri, phraſi iudaica vſum, *igne Geennae* commemorando enuntiaſſe (v. c. Matth. 5, 22. 29. 30.) atque hunc ignem appellaſſe πῦρ ἄσβεστον (Marci 9, 44. 45. 47. 48) Quum vero comma 12. verſui 11, arctiſſime cohaereat, ſequitur, verba καὶ πυρὶ pariter eſſe de *poenis ſaeculi futuri* (*aeternis*) intelligenda. Quemadmodum baptiſta v. 12. (vt modo vidimus) Iudaeos, qui mentem immutaturi ſint et Meſſiae obſequuturi, ſalute regni Meſſiani ornandos iis opponit, quibus poena inſtet aeterna, quum reſipiſcere omnino noluerint; ita etiam verſu 11. vtrumque hominum genus alteri opponit, ac ſortem vtriusque plane diuerſam verbis enuntiat pauciſſimis iisdemque grauiſſimis: αὐτὸς ὑμᾶς etc. Quum vero fata vtriusque hominum generis diuerſiſſima, ſermone acuto et vere ſublimi vſus, *vno eodemque verbo* βαπτιζειν com-

plexus fuerit (de cuius poteſtate ſupra diſputatum eſt) neminem poteſt mirum habere, quod verba priora πνευματι αγιω voci πυρι contrarium enuntianti per copulam και adnexa fuerint (quam omnino ſubinde eiusmodi quoque locis adhiberi, vbi oppoſita proferantur, alia docent effata. Cfr. 2 Theſſalonn. 1, 6. 7. ad Romm. 2, 12. Marci ev. 9, 49.) [11]) Neque cum Cenſore erudito commentarii a Kuinoelio editi ſupra laudato dixerim, verbis και πυρι ſignificationem ab ea, quae verbis antecedentibus πνευματι αγιω expreſſa fuerit, plane diuerſam, eique fere oppoſitam propterea vindicari non poſſe, quod locis iam laudatis ſimilibus (Io. I, 33. Actt. 1, 5. 11, 16.) nonniſi το βαπτιζειν εν πνευματι commemoratum fuerit, verbis εν πυρι omiſſis, vnde pateat, verba και πυρι noſtro quidem loco nonniſi ad formulam πνευματι αγιω explicandam et accuratius definiendam adiici. Teneamus modo, totum hunc, in quo interpretando iam verſati fuerimus, Ioannis bapti-

---

11) Quum videam nonnullos interpretes doctiſſimos (v. c. Cenſorem beneuolum programmatis mei in S. V. *Bengelii* diario: *Archiv für die Theologie und ihre neueſte Litteratur 2. Bandes 1. Stück. S.* 159.) in eo quodammodo offendiſſe, quod voculae και h. l. poteſtatem *antitheticam* tribuerim; addam, meam totius phraſeos interpretationem omnino permittere, vt vocula και quoad *ſignificationem* more ſolito vertatur: ille vos ſpiritui ſancto immerget, *atque igni*, ſi modo conceſſum fuerit (*quoad ſenſum*) Ioannem baptiſtam, quum diceret: ἐν πνεύματι ἁγίῳ de hominibus, qui ad μετανοιαν promti paratique eſſent futuri, quum vero adderet και πυρι de iis, qui emendationem nullam admiſſuri eſſent, cogitaſſe.

ſtae ſermonem coram Iudaeis recitatum eſſe, quorum permulti Ioannem peruerſitate ſua ad poenas grauiſſimas nuntiandas impellerent, eumque ab aliis ſermonibus, in quibus phraſis breuior obueniat βαπτιζειν ſ. βαπτιζεσθαι εν πνευματι αγιω (verbis και πυρι omiſſis) ratione loci, temporis, auditorumque habita multum diſcrepare. Sententiam igitur totius commatis liceat his verbis eloqui: ego vos aquae immergo vt vos (ſymbolice) futurae mentis emendationi (puritati internae perficiendae) obſtringam. Sed qui poſt me veniet, me longe eſt potentior, cuius calceos qui portem non ſum dignus. Ille eos veſtrum, qui reſipiſcere voluerint, Spiritui diuino immerget, (i. q. indole meliori a Spiritu diuino oriunda inbuet, quo ſalui euadent), eos vero, qui reſipiſcere noluerint, igni immerget (poena adficiet aeterna futuri ſaeculi). *Ich weyhe und verpflichte euch nur ſymboliſch (mit Waſſer) zur Heiligkeit des Sinnes. Er, der Meſſias wird euch (die noch verbeſſerlichen) mit dieſem heiligen durch den Gottesgeiſt gewürkten Geiſte und Sinne ſelbſt taufen (erfüllen) — aber euch (die Unverbeſſerlichen) mit Feuer taufen (ewige Strafen über euch verhängen).*

Commentatio Vndecima*).

Quo ſenſu Ieſus apud Matthaeum (c. 24.) Marcum (c. 13.) Lucam (c. 21.) aduentum ſuum in nubibus coeli futurum nuntiauerit, inquiritur.

*) Edidi hanc commentationem, ad dies feſtos memoriae nati Ieſu Chriſti ſacros rite celebrandos inuitaturus Ienae a. MDCCCXV.

De sensu, quo Iesus in sermone illo, sublimitate diuina conspicuo, quem Matthaeus (c. 24.), Marcus (c. 13.), Lucas (c. 21.) exhibuerunt, aduentum suum in nubibus coeli splendide futurum nuntiauerit, dissensus theologorum tam grauis exstitit, vt accurata huius quaestionis exegeticae tractatio omitti profecto nequeat, siue dogmata quaedam Christiana (ad εσχατολογιαν, quam vulgo adpellant, spectantia) recte tractare, siue omnino indolem atque ingenium Iesu Christi probe aestumare volueris. Cuius disputationis grauitatem quo magis ipse sentio, eo studiosius opportunitate, quam ipsa dierum festorum solemnitas adtulit, vtendum existimo, meam hac de re sententiam, oratione illa Iesu Christi legenda ac relegenda, totaque et vitae et sermonum Seruatoris indole considerandа firmius firmiusque mihi persuasam profitendi atque defendendi. Neque vero de tempore, quod Iesus, aduentum suum splendide futurum nuntians, in mente habuerit, atque omnino de consilio, quo illa dixerit, prius licet accu-

ratius differere, quam verba singula in eo, quod dicimus, effato obuia paucis fuerint inuestigata, quo pateat, quid et quantum interpreti grammatico ex ipsis verbis liceat eruere.

Postquam Iesus apud Matthaeum c. 24. calamitates grauissimas nuntiauerat, in Iudaea (Hierosolymis potissimum per obsidionem vrbis Romanam) exorituras, discipulos sibi cauere iusserat a doctoribus vanis, illo tempore prodituris, auctoritatem propheticam ipsamue Messianam perperam sibi vindicaturis, et aliquam Christianorum partem deceptūris, ac v. 29. motus insignes et commutationes corporum coelestium tum temporis euenturas descripserat, teste Matthaeo v. 30. haec addidit: καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. Ac verbum quidem φαινεσθαι, quanquam interdum de eo dicitur, quod mente tantum intelligi atque cognosci potest (v. c. Luc. 24, 11.) ea tamen adparet effati nostri indoles, quae nos omnino iubeat verbo φαινεσθαι significationem *vulgarem* eamque multo frequentiorem (cfr. Schleusneri lexicon sub h. v.) subiicere, atque de iis, quae sub sensus cadant cogitare. Quemadmodum enim Seruator v. 29. eiusmodi euentus nuntiauerat, qui sensibus adparituri sint, ita eundem v. 30. palam audimus profitentem: καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου etc. cfr. Marci 13, 26. Luc. 21, 27. Neque obiicere licet, verbum quoque οπτεσθαι subinde ad eum transferri, qui ali-

quid mente accuratius cognoscat. Etsi enim lubentissime concedam, non omnino deesse effata, hunc vsum vb. ὀπτεσθαι tropicum comprobantia (Matth. 5, 8. ad Romanos 15, 21.) iure tamen meritoque adfirmare mihi videor, in ea, quae h. l. obtineat, orationis serie (quum verba sequantur: Ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς) vb. ὀπτεσθαι ab iis, qui huic sermoni Iesu Christi auditores interfuerint, non potuisse nisi sensu proprio videndi (sensibus percipiendi) intelligi. Vtrum vero Iesus his verbis nuntiauerit, fore, vt sensu plane proprio suam ipsius personam intueantur, an de aliis rebus sensui externo adparituris (symbolis Iesu Christi, hominibus quidem non conspicui, attamen viuentis, summamque efficaciam in homines et res humanas exserentis) cogitauerit, aliorum interpretationis praesidiorum ope cognoscemus, de quibus posthac disputabitur. Vtroque enim sensu et verbi φαινεσθαι et phraseos ὀψονται etc. vsus fieri potuit. Iam vero alia eademque difficilior quaestio de verbis τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ recte struendis et intelligendis excitata est. Σημειον quidem (signum) neminem fugit de re externa dici solere, quae vel inseruiat rei sub sensus cadenti ab aliis facilius distinguendae (Matth. 26, 48. Luc. 2, 12.) vel ita se habeat, vt ipsius ope eiusmodi rem certo liceat cognoscere, quae natura sua vel prorsus sit inuisibilis (quo sensu miracula Christi et Apostolorum saepenumero σημεια adpellantur atque τερατα, documenta quippe auctoritatis diuinae et auxilii diuini inuisibilis, Iesum eiusque Apostolos potentissime iuuan-

tis, v. c. Matth. 12, 38. Io. 4, 48.) vel non omnino integra ſenſibus adpareat (Matth. 16, 3. σημεια των καιρων i. q. ſigna, quae doceant, tempus adeſſe, quod exſpectatum fuerit) vel hoc tempore nondum ſub ſenſus cadat, ſed olim adparitura exſpectetur (Matth. 24, 3. σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας) [1]). Neque eſt, quod copioſius demonſtrem, Ieſum formulam ὑιὸς τοῦ ἀνθρώπου eodem ſenſu, quo in aliis ſermonibus permultis fecerit, *ſibi Meſſiae* vindicaſſe, quum ipſe phraſes Χριστος et ὑιὸς τοῦ ἀνθρώπου v. 23. et v. 27. eiusdem capitis tanquam ſynonymas adhibuiſſet. In ipſo autem *ſenſu*, quem phraſis fundat σημειον του υιου του ανθρωπου conſtituendo, interpretes et antiquiores et recentiores in partes abierunt diuerſiſſimas, ſiquidem alii rem intelligi voluerunt, quae ſigno futura eſſet filii hominis venientis, alii ipſum hominis filium. Ac prioris quidem generis interpretes vel de phaenomeno ſingulari cogitant tempore, de quo ſermo eſt, in coelis adparituro, pluribusue phaenomenis coeleſtibus, vel de euento in terra futuro, pluribusue eiusmodi euentis, Ieſu Chriſti aduentum ſiue efficaciam palam declaraturis. Quale vero illud phaenomenon futurum ſit? vtrumne crux, tanquam ſymbolum Seruatoris olim in cruce mortui, poſtea ad dignitatem

1) Eandem loquendi rationem ſequutus Ioannes ſpectacula inſignia, quae viſione ipſi oblata fuerant, σημεια adpellauit, quippe quae partim ſymbola eſſent rerum inuiſibilium ac diuinarum, partim res futuras portenderent. Apocal. 12, 1. 15, 1.

ſummam coeleſtem euecti, in coelo proditura innuatur [2]), an ſtella inſignis [3]) an nubes fulgida, an ſonitus ingens [4])? varie quaeſiuerunt. Quodſi Ieſus voce σημειον, quae latius patet, adhibenda diſcipulorum animos ad eiusmodi phaenomenon in coelo futurum attentos reddere voluiſſet, maiori, opinor, perſpicuitate ſententiam ſuam profiteri debuiſſet, neque in vniuerſa ſigni notatione acquieſcere. Neque Apoſtoli vel in Actis vel in epiſtolis vllam prodiderunt talis σημειου exſpectationem, quae hoc ſermone Chriſti audiendo in animis eorum excitata fuerit. Pariter iis, qui totam illam gloriam et maieſtatem v. 30. deſcriptam intelligi maluerunt [5]) (ſplendorem corporis Ieſu Chriſti

---

2) Quam ſententiam inter veteres Chryſoſtomus in homilia 77. in Matthaeum, Euthymius Zigabenus et alii amplexi ſunt, in eo tantum diſſentientes, quod alii ipſam illam crucem ligneam, cui Seruator adfixus fuerat, coelitus hominibus adparituram intelligunt, alii fulgorem aliquem coeleſtem, imaginem crucis referentem.

3) Non defuerunt, qui de cometa cogitarent, quem Joſephus ſuper Hieroſolymis conſpectum eſſe perhibet de bello Iudaico l. 7. c. 30. Quibus hoc potiſſimum obſtat, quod cometa ille ante obſidionem Hieroſolymarum (in ſermone noſtro Matth. c. 24. iam ſupra v. 15. deſcriptam) adparuiſſe dicitur. Cfr. Hvnnii commentarius in Matth. c. 24.

4) Qui notionem vocis tubae ingentis (σαλπιγγος εσχατης I Corinthh. 15, 52.) ſub illo σημειω latere exiſtimant (v. c. Daniel Heinſius) parum perpendunt, verbo φαινεσθαι ſatis perſpicue rem aliquam innui viſibilem.

5) Hanc ſententiam Bezae et aliis probatam diligentia prae-

eximium, nubem fulgidam, comitatum angelorum, ſonitum ingentem tum temporis futurum) reſpondeamus neceſſe eſt, non τὰ σημεῖα ſed τὸ σημεῖον a Chriſto eſſe nuntiatum. Eadem de cauſa non omnino adſentiri poſſum V. Kuinoelio, qui (in comment. ad libros N. T. hiſtoricos Vol. I. p. 670. edit. recent.) σημειον ea omnia comprehendere exiſtimat, quae Ieſus v. 29. commemorauerit. Quanquam ipſe his omnibus ſenſum vindicat tropicum, ita vt (ratione ſententiae primariae habita) omnino ad eos accedat, qui Ieſum hoc nuntiaſſe exiſtimant: Meſſias euerſione ciuitatis Iudaicae maieſtatem ſuam demonſtraturus eſt. Cfr. Eichhornius: *Bibliothek der bibliſchen Literatur* Vol. III. p. 297 ſq. p. 1056 ſq. Qui de euento, pluribusue euentis in terra exſpectandis cogitauerunt, effatum Seruatoris φανησεται το σημειον etc. vel, Grotio praeeunte, de praedicatione doctrinae purae euangelicae illo tempore vbique terrarum futura interpretati ſunt (parum quidem memores, mutationem illam ſaluberrimam iam ſupra v. 14. a Chriſto nuntiatam eſſe, neque vim verbi φανησεται recte perpendentes), vel de reſurrectione mortuorum [6]) (cuius ſententiae defenſori nequaquam licet ad Matth. 12, 39. 40. prouocare, quum Ieſus l. l. non docuerit, fa-

---

cipua expoſuit ac tueri ſtuduit Io. Nicol. Rost in disquiſitione theologica de ſigno filii hominis ex loco Matth. 24, 30. (praeſide Beckmanno defenſa) Ienae 1681. 4.

6) Cfr. Ern. Gust. Weberi coniecturae critico-exegeticae ad Matth. 24, 28. 29. Marci 13, 23. 24. Viteb. 1810. 8. p. 8.

tum Ionae ſigno ſ. ſymbolo reſurrectionis ſuae mox futurae inſeruiiſſe, ſed hoc tantum egerit, vt, quae Ionas expertus fuiſſet, ſatis ſibi inſtantibus compararet) vel de conuerſione horrenda rerum iudicarum, excidio vrbis templique Hieroſolymitani coniunctiſſima, et, quae eam ſequuta eſt, propagatione religionis Chriſtianae proſperrima. Poſtremae quidem ſententiae, haud paucis interpretibus perſuaſae 7) hoc potiſſimum addicit, quod, quum Ieſus antea v 15. ſeqq. de calamitatibus Hieroſolymae populoque iudaico inſtantibus loquutus fuiſſet, ipſa huius ſermonis ſeries lectores eius atque auditores facile eo perducere potuerit, vt illud σημειον de euerſione vrbis ac templi Hieroſolymitani interpretarentur, quippe quae ſigno futura eſſet Meſſiae Iudaeos efficacia ſumma punientis, atque de hoſtibus ſuis triumphum agentis po-

7) Cfr. Wettstenius in comment. ad h. l. qui hanc ſententiam limitibus paulo anguſtioribus circumſcribit, de fumo potiſſimum Hieroſolymae incenſae cogitans. Clericus in notis ad Hammondi paraphraſin N. T. p. 191. Rosenmüllери ſcholia ad h. l. Heddaeus: *das Evangelium des Matthaeus überſetzt und mit Anmerkungen erläutert, zweyter Theil*, p. 356. Stolz *Erläuterungen zum neuen Teſtament erſtes Heft* p. 222. Thiess *neuer kritiſcher Commentar über das N. T.* Vol. I. p. 306. p. 323. ſq. Flatt obſeruationes ad Matth. c. 24. 25. quae Tubingae (anno non indicato) prodierunt p. 20. nota 22. B. Jahn *Erklärung der Weiſſagungen Ieſu von der Zerſtörung der Stadt Ieruſalem etc.* in diario V. Bengelii: *Archiv für die Theologie und ihre neueſte Litteratur, zweyten Bandes 1. Stück, Tübingen*, 1816. 8. (p. 134. ſeqq.)

tentissimum. Accedit, quod verba sequuntur: καὶ τότε κόψονται etc. Neque opponere licet, ea, quae Iesus v. 30. nuntiauerit, vsu formulae v. 29. obuiae: εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν etc. ita distingui ab iis, quae supra de malis dixerit genti Iudaicae instantibus, vt ad alia omnino euenta ac tempora referri debeant. Immo, quum phrasin: θλῖψις μεγάλη v. 21. obuiam, orationis serie iubente, de *obsidione* Hierosolymae et calamitatibus summis inde oriundis explicari oporteat, sequitur, sub iis, quae μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων euentura sint, omnino *euersionem* Hierosolymae, totiusque ciuitatis iudaicae ruinam intelligi posse. Vna adparet difficultas, quae hanc sententiam pariter premat atque coniecturas aliorum, qui σημειον de euentis terrestribus interpretati sunt, in eo posita, quod tale euentum parum commode videatur dici potuisse Φανησεσθαι εν τω ουρανω. Licetne eam verbis aliter struendis [8]) tollere, ita vt verba ἐν τῷ οὐρανῷ iis, quae proxime antecedunt τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου propius iungantur (subintellecto ὄντος post ἀνθρώπου): tum adparebit signum filii hominis in coelo versantis s. tum documentum adparebit, quo constet, filium hominis in coelis regnare? Verum enimuero, etsi largiar, sermonem noui foederis non omnino eadem diligentia in articulo ponendo esse conspicuum, quam scriptores Graeciae classici praestiterint (cfr. v. c.

8) Cfr. Morus qui hanc rationem in dissertationibus theologicis et philologicis (Lipsi. 1787.) p. 145. in nota commendauit.

Matth. 21, 9. vbi articulus ante verba ἐν τοῖς ὑψίστοις desideratur), nemo tamen facile negaturus est, hanc esse vulgarem atque sollennem scriptorum quoque sacrorum noui foederis loquendi rationem, vt substantiuo, vbi participium, quo praedicatum substantiui enuntietur, vel in textu sequatur, vel subintelligendum lectoribus relinquatur, articulum addant (qualis est formula in euangeliis frequenter obuia ὁ πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς) Proinde, quum Iesus non dixerit: τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ, malim, plerosque sequutus, verba iungere σημεῖον ἐν τῷ οὐρανῷ. Cuius sententiae veritatem insuper, ni omnia me fallunt, historia probat Matth. c. 16. v. 1. sqq. exposita, quam animo Christi σημειον filii hominis nuntiantis obuersatam esse, interpretes plures probe intellexerunt. Respicit quippe σημεῖον ἐν τῷ οὐρανῷ ad illud σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, quod Pharisaei et Sadducaei, partim Iesu Christo inuidentes, partim miraculorum cupidissimi, frustra a Seruatore expetierant. Nuntiat Iesus, fore, vt suo tempore σημειον in coelis siue coelitus adpariturum, quale Iudaei illi postulauerant, omnino exhibeatur (praestantius quidem neque votis Iudaeorum terrestribus accommodatum). Denique non defuerunt, qui, neque de signo certo in coelis futuro, neque de euentis certis terrestribus cogitantes, sensum totius membri: καὶ τότε φανήσεται — ἐν τῷ οὐρανῷ tropicum esse coniicerent, sic intelligendum: tum Christus aduentum suum praeparabit, tum veluti signum suum s. vexillum eriget, proxime venturus. Huius vero coniecturae defensores (v. c. Zwinglius,

Michaelis, alii) neque docuerunt, quorsum Iesus, priusquam ipsius aduentus sui mentionem faceret: καὶ ὄψονται etc. hoc seperatim nuntiandum putauerit, se illo tempore aduentum suum praeparaturum esse, neque, phrasin: *signum adparebit* in libris N. F. eiusmodi sensu vsurpatam esse, locis laudandis probauerunt. Quae quum ita sint, difficultatibus perpensis, quibus sententiae eorum sunt obnoxiae, qui σημειον filii hominis rem significare existimant, quae signo sit futura filii hominis venientis, interpretes verum vidisse intellexi, qui phrasin illam de *ipso hominis filio* explicuerint [9]). Licet omnino interpreti huius effati eum loquendi vsum in

---

9) Cfr. Olearii obseruatt. ad Matth. ad h. l. Glassii philologia sacra (edit. Francof. et Lips. 1691.) p. 387. Wolfii curae philologicae et criticae (edit. Basil. 1741.) Vol. I. p. 551. Vitringae comment. ad Ies. II, 11. p. 551. Heumanni *Erklärung des Neuen Testaments* Vol. I. p. 395. sq. Storrii diss. exegetica I. in librorum N. T. historicorum aliquot loca, Tubingae, 1790. p. 37. sq. eiusdem dissert. II. Tubingae, 1791. p. 22. sqq. Inpugnauit quidem nuperrime hanc sententiam Censor Doctissimus commentationis meae in diario: *neue theologische Annalen und Nachrichten*, 1816. *Herausgegeben von D. Wachler*, 2. *Band*, p. 533. ff. Neque vero mihi persuadere possum, verba: καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου etc. prorsus otiosa apparere et superuacanea, si verba praegressa τὸ σημειον etc. de ipso hominis filio intellecta fuerint. Perpendamus modo, Seruatorem partim, quae paulo obscurius dicta videri potuissent, vberius his ipsis verbis explicare voluisse, partim accuratius docere, aduentum suum illustrem fore atque glorioſum (ἐπὶ τῶν νεφελῶν etc.).

auxilium vocare, quo ſubſtantiuo alius ſubſtantiui genitiuus ita iungitur, vt vocabulum poſterius vim habeat prioris explicandi et accuratius definiendi (v. c. σημεῖον περιτομῆς ad Romm. 4, 11. σημεῖον τῆς ἰάσεως Actorum 4, 22. Φόνω μάχαιρας ad Hebr. 11, 37. cfr. Amoſi 5, 2. et, quae Vechneri hellenolexia l. 2. c. 8. ſuppeditat). Neque effata deſideramus, quae vocem σημειον ad Seruatorem ipſum transferant. Quemadmodum enim Simeon Luc. 2, 34. vaticinatus eſt, filium Mariae futurum eſſe εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον (i. q. vexationibus *inſignem*, quas ille ab aduerſariis perpeſſurus eſſet); ita Ieſus ipſe Lucae 11, 30. nuntiauit, ſe, hominis filium, pariter huic aetati peruerſae *prodigio* (σημείῳ) eſſe futurum, atque olim Ionas Niniuitis fuerit prodigio. Etſi vero comparatio fatorum Chriſti atque Ionae, quae Luc. 11, 29. 30. facta eſt, omnino doceat, Ieſum h. l. non tam de aduentu illo (Matth. 24, 30. nuntiato) quam de reſurrectione ſua die tertio futura cogitaſſe, patet tamen, ab indole ſermonum Ieſu Chriſti omnino non poſſe alienum videri, quod verba: καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ hoc ſenſu pronuntiaſſe exiſtimetur: *tum votis eorum, qui olim* (Matth. 16, 1. ſqq.) *miraculum (prodigium) coeleſte per me edendum efflagitauerunt, abunde ſatisfiet, adparebit quippe prodigium in coelis, ipſe, inquam, hominis filius.* Etenim, quod Ieſus Matth. 16, 4. Marci 8, 12. Luc. 11, 29. omnino negabat, hominibus illis *eiusmodi* σημειον, *quale poſtulaſſent*, adpariturum, nequaquam ponebat, Chriſtum non *alio ſenſu* σημειον coeleſte aliquando exhibiturum eſſe. Explica-

tur ſententia Chriſti verbis ſequentibus: καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου etc. Neque dubium videri poteſt, quo ſenſu Ieſus aduentum ſuum σημειον (prodigium) adpellauerit, ſiquidem hic euentus veritatis eorum, quae Ieſus, in his terris viuens, de rebus diuinis (de legatione ſua diuina, de auxilio diuino ipſum iuuante, de poena diuina aduerſariis doctrinae ſuae imminente, de ſucceſſu cauſae ſuae proſperrimo) pronuntiauerat, ſigno futurus eſſet luculentiſſimo. Adiuuatur inſuper ea, quam commendauimus, totius ῥησεως interpretatio locis Marci (13, 26.) et Lucae (21, 27) conferendis, quae nonniſi verba Chriſti exhibent: videbunt hominis filium nubibus vectum maieſtate ſumma conſpicuum, omiſſis iis, quae apud Matthaeum de σημειω filii hominis adparituro dixiſſe perhibetur. Quodſi auditores illius ſermonis Ieſu Chriſti verba priora: καὶ τότε φανήσεται etc. de euentu ſingulari fuiſſent interpretati, qui ab illo Chriſti aduentu verbis ſequentibus deſcripto *plane diuerſus* eſſet futurus, neque Marci, opinor, neque Lucae commentarius illam σημειου commemorationem ſilentio transmiſiſſet[10]).

---

10) Aliam quidem ſententiam, ab auctore ſuo admodum erudite et ingenioſe defenſam, de verbis καὶ τότε φανήσεται etc. recte interpretandis parallelismus ille Matthaei atque Lucae V. Eichhornio perſuaſit (cfr. *Bibliothek der bibliſchen Litteratur* Vol. III. p. 1058 ſq.). Etenim, quum apud Lucam c. 21. v. 25. 26. haec legantur: καὶ ἔσται σημεῖα ἐν ἡλίῳ, καὶ σελήνῃ καὶ ἄστροις — αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται, tum vero v. 27. confeſtim verba addantur: καὶ

Poſtquam igitur Seruator aduentum ſuum breuiter nuntiauerat, teſte Matthaeo, haec addidit: καὶ τότε κοψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς: tum plangent omnes tribus terrae. Verbum κοπτεσθαι neminem fugit de iis dici, qui pectus plangant, ſigna doloris externa edentes. Cfr. LXX. ad 1. Samuël. 25, 1. Matth. 11, 17. Luc. 8, 25. Phraſis autem φυλαὶ τῆς γῆς (הָאָרֶץ מִשְׁפָּחוֹת Zachar. 14, 11.) interpretationem admittit duplicem,

---

τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου etc. coniicit inde, τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ ἀνθρώπου apud Matthaeum reſpondere τοῖς σημείοις loco Lucae parallelo commemoratis, ideoque effatum Chriſti: καὶ τότε φανήσεται etc. nihil innuere, niſi quod v. 29. de mutationibus in ſole, luna, ſtellisque futuris nuntiatum fuerit. Quantum equidem ſentio, illius locorum parallelismi ea eſt indoles, vt ſententiae quidem ſententiis, neque vero ſingula quaeuis verba verbis reſpondeant. Teneamus inſuper, phraſin Lucae: καὶ ἔσται σημεῖα etc. formulae apud Matthaeum obuiae: καὶ τότε φανήσεται etc. ea de cauſa conferri non poſſe, quod loco Lucae breuiter σημεῖα in ſole etc. commemorentur, apud Matthaeum vero, abſoluta v. 29. mutationum illarum coeleſtium deſcriptione, τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου proditurum eſſe dicatur. Neque memini, numerum ſingularem τὸ σημεῖον in libris N. F. de euentis pluribus iisque omnino natura ſua diuerſis, quamquam ad vnum eundemque finem ſpectantibus (qualia ſunt, quae Matth. 24, 29. praedicuntur) vſurpatum eſſe. Quod vero locum Ioëlis c. 3. v. 3. adtinet, quamquam omnino verba prophetae noſtris καὶ τότε φανήσεται etc. quodammodo ſimilia adparent, minime tamen tanta eſt vtriusque loci ſimilitudo, vt demonſtrare valeat, Ieſum illa dicentem de verbis cogitaſſe apud Ioëlem obuiis.

ſiquidem vel tribus Palaeſtinae, quam ſermo ſcriptorum ſacrorum frequenter γῆν adpellat, i. e. *gentem Iudaeorum* innuit (ex vſu ſubſtantiui φυλη vulgari in N. T. obuio cfr. Schleusneri lexicon ſub h. v.) vel *homines omnium gentium.* Quemadmodum enim vox hebraica מִשְׁפָּחוֹת ſubinde ad alias gentes (praeter Iudaicam) transfertur (Ierem. 8, 3. 25, 9.) ita etiam ſubſtantiuo φυλη *per ſe ſpectato* nihil inhaeret, quo poteſtatem eius limitibus anguſtis circumſcribere iubeamur, neque exempla deſunt huius vocabuli in verſione Alexandrina V. T. de aliis populis praeter Iudaicum vſurpati (cfr. Zachar. 14, 18.) Docet Ieſus, tempus illud verbis: καὶ τότε φανήσεται etc. nuntiatum omnino haud paucis (vel Iudaeis, vel, ſi alteram ſequamur interpretandi rationem, hominibus omnium gentium) fore calamitoſum. In promtu eſt, eum de metu poenarum cogitaſſe, quas vel Iudaei, Chriſto olim pertinacia ſumma aduerſati, vel omnino homines inprobi atque ſceleſti ſubituri eſſent. Denique magis perſpicue eloquitur, quod verbis: καὶ τότε φανήσεται breuiter innuerat: καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πόλλης: videbuntque hominis filium nubibus coeli vectum, potentia ſumma et maieſtate conſpicuum. Eſt enim επι τῶν νεφελων (cfr. Matth. 26, 64.) i. q. ἐν νεφέλαις Marci 13, 26. ἐν νεφέλῃ Luc. 21, 27. μετὰ τῶν νεφελῶν Marci 14, 62. ita vt Chriſtus his phraſibus ſynonymis omnino dicatur nubibus cinctus eſſe adpariturus. Neque δόξα *dignitas ſumma atque maieſtas,* quae in N. T. et Deo et Chriſto tribuitur (v. c. Matth. 16, 27. Io. 11, 4. Matth. 19, 28.

Luc. 24, 26.) a δυναμει, quae plerumque de maiestate ac potentia Dei patris dicitur, sed etiam (ad Hebraeos 1, 3. 2 Petri 1, 3.) ad Christum transfertur, subtilius distinguenda.

Patet ex iis, quae hucusque disputata sunt, interpretem huius effati, si meram sequatur verborum interpretationem philologicam, ratione insuper habita nexus sermonis, qui singula iungat, omnino hanc sententiam lucrari, *fore, vt Iesus Christus, exantlatis calamitatibus illis, de quibus Matth. c. 24. usque ad v. 28. sermo fuerit, in coelo, nubibus cinctus, maiestate summa conspicuus adpareat, Iudaeis, qui aduersarii eius fuerint (aut omnino hominibus improbis) plangentibus.* Neque vero interpres hac philologica verborum explicatione instituenda totum sensus veri recte cognoscendi aliisque perspicue tradendi negotium absoluisse existimandus est. Facile enim cuiuis N. F. lectori, qui indolis sermonum Christi non omnino ignarus fuerit, in mentem veniet, accuratius de eo quaerere, vtrum Iesus, quaecunque de aduentu suo dixerit in nubibus coeli futuro, sensu plane proprio enuntiauerit, an sermoni tropico (cuius vsum ab ingenio et consuetudine Christi haud alienum fuisse nemo, opinor, vnquam negare ausus est) in his quoque effatis explicandis aliquid recte concedatur? Accedit, quod sola verborum explicatio philologica neque controuersiam dirimere valet de phrasi φυλαὶ τῆς γῆς recte intelligenda excitatam, neque tempus definire, de quo Christus, quum illa nuntiaret, cogitauerit. Quum vero haec po-

ſtrema quaeſtio ita ſeſe habeat, vt, ſiue hoc ſiue alio modo ei reſponderis, de ſenſu totius effati vel proprie vel tropice intelligendo iudicia prodeant diuerſiſſima, ſequitur iam, vt hanc ipſam ſententiarum diuerſitatem tempore, quod Chriſtus intellexerit, definiendo excitatam paulo accuratius perſequamur.

Videmus autem interpretes huius effati in ea, quam diximus, quaeſtione tractanda in duas potiſſimum partes abeuntes [11]), ſiquidem Chriſtus apud Matth. 24, 29. 30. locisque parallelis Marci et Lucae aliis *de aduentu ſuo vltimo ad iudicium extremum futuro* [12]), aliis *de excidio*

---

11) Verbo commemoraſſe ſufficiat coniecturas contortiores, longius petitas, ideoque paucis probatas eorum, qui verba Chriſti vel de illo Dei iudicio, quo paganismus tempore Conſtantini Magni proſtratus fuerit, vel de ſtatu Chriſtianorum ſub antichriſto romano explicuerint. Cfr. Vitringae commentarius ad Ieſaiae 34, 2. Starkii ſynopſis bibliothecae exeget. in N. T. ad Matthaeum, Marcum et Lucam. Grotii vero coniectura, qui (in adnotatt. ad Matth. c. 24. et Luc. c. 21.) effatum Chriſti de regno eius ſpirituali ſiue eccleſia Chriſtiana interpretatus eſt, quanquam ſententiae interpretum, qui Ieſum de excidio Hieroſolymae atque de aeuo Moſaico prorſus abolendo oraculum enuntiaſſe iudicant, quodammodo conciliari poteſt, minime tamen ad locum noſtrum omni ex parte illuſtrandum omnino ſufficit, quum verba v. 29. et 30. mutationes quasdam externas illo tempore futuras ſatis perſpicue ſignificent.

12) Praeter Olearium, Wolfium, Rostium, Heumannum, Storrium, Weberum, quorum libri ſupra in notis 5. 6.

Hierosolymae, de interitu totius ciuitatis et oeconomiae Mosaicae, de poenis genti iudaicae prope instantibus[13]) vaticinium edidisse visus est. Prio-

---

9. laudati sunt, cfr. Gerhardi harmonia euangelica T. II. c. 161. Marokii exercitationes scripturarum exercit. VII. ad Marci c. 13. Wernsdorfii disputatt. de textu euangelico Dom. II. aduentus de aduentu Christi vltimo accipiendo Viteb. 1714. Rittneri disquis. de signis extremi iudicii Helmstad. 1718. Lippoldi interpretatio sacrorum de Christo venturo oraculorum, Dresdae, 1776. Inter recentiores V. Paulus (*Commentar über das neue Testament, dritter Theil* p. 582. seqq.) sermonem Christi de mutationibus grauissimis, ad totam terram eiusque incolas olim spectaturis atque visibili παρουσία Christi olim futura interpretatus est, quanquam non omnibus vocabulis in hoc effato obuiis sensum tribuit litteralem. Cfr. insuper Kistemaker: *Weissagung Jesu vom Gericht über Judaea und die Welt, Münster*, 1816. 8. p. 14. seqq.

13) Praeter Eichhornium (*Bibliothek der bibl. Litter.* Vol. III. p. 297. sqq. p. 1056. sq.) Kuinoelium in comment. ad libros N. T. historicos Vol. I. p. 668. ff. edit. recent. atque eos, qui supra in nota 7. laudati sunt cfr. Rusii harmonia euangelistarum T. III. p. 293. sqq. p. 378. seqq. Koenigsmanni disput. de iudicio regis Christi aduersus rebellem ecclesiam Iudaeorum, Kiloniae, 1712. Zeltneri dissert. de astro Iudaeis quondam ominoso, Altdorfii, 1713. Lightfooti horae hebraicae et talmudicae. Lipsi. 1675. p. 450. sq. Oederi *freye Gedanken und Urtheile über verschiedene merkwürdige Stellen der heil. Schrift*, 1748. Dissert. exegetica de locis Matth. 24, 29—31. Marci 13. 24. sqq. Luc. 21, 25. seqq. quam publice defendit Deocarus Schmid, respondente Bagge, Ienae, 1777. Noesselti opuscula fascic. II. Milow *Comment. über* Matth. 24. *und* 25. *in*

ris quidem ſententiae fautores verborum v. 29. et 30. ſignificationem ſequuntur propriam. Qui poſteriorem amplexi ſunt, in hoc effato Chriſti explicando haud pauca, immo plurima indoli tribuunt ſermonis poëtico-prophetici. Quum vero hiſtoria doceat, eam verborum interpretationem, qua Chriſtus de aduentu ſuo viſibili, adhuc exſpectando, ad judicium extremum futuro vaticinatus eſſe exiſtimetur, omnino antiquiorem eſſe plurimisque olim probatam, argumenta, quibus interpretes huius generis ſententiam ſibi probatam ſuperſtruere ſolent, ante omnia cognoſci oportet et absque omni partium ſtudio examinari. Redeunt autem, quaecunque defenſores huius ſententiae adtulerunt, vt cauſam ſuam tuerentur, partim ad indolem eorum, quae Matth. c. 24. v. 30. leguntur, partim ad nexum ſermonis, quo vaticinium v. 30. obuium effatis Chriſti antecedentibus pariter atque ſequentibus cohaeret. Quod prius adtinet, veriſſime quidem intelligunt, verba v. 30. per ſe ſpectata aduentum Ieſu Chriſti viſibilem innuere, in nubibus coeli futurum. Colligunt

---

Henke *Magazin für Religionsphiloſophie u. ſ. w.* Vol. VI. p. 569. ſqq. Flattii comment. de βασιλεια των ουρανων (inſerta commentationibus theologicis ed. Velthuſen, Kuinoel, Ruperti Vol. II.) Ammonii *bibliſche Theologie dritter Band* (*Erlangen*, 1802.) p. 273. ſqq. Ekermannii *theologiſche Beyträge zweyter Band erſtes Stück*, *Altona*, 1791. p. 110. ſqq. Krummacheri liber: *über den Geiſt und die Form der evangeliſchen Geſchichte* (*Leipzig*, 1805.) p. 408. ſqq.

inde, quum Christus, ex quo tempore ad Deum patrem rediisset, hucusque gentibus terrae nunquam ita coelitus adparuerit, vt sensibus humanis perciperetur, neque Christus vel exspectationi vanae indulsisse, vel auditores ludere voluisse existimari possit, nihil restare, nisi, vt largiamur, eum v. 30. de aduentu quodam olim ad judicium extremum futuro cogitasse. Cui quidem argumentationi confestim cederem, si modo demonstrari posset, vel nulla plane deprehendi effata Seruatoris tropice intelligenda, vel eam esse effati nostri (v. 30.) indolem, quae ab omni interpretatione tropica hoc loco admittenda prorsus abhorreat. Quemadmodum vero prius nunquam demonstratum est, nec vnquam doceri poterit, ita, quo iure adfirmemus, *fieri omnino posse*, vt in explicando v. 30. sermoni tropico aliquid concedatur, ex iis patebit, quae infra disputabimus, sententiam nostram vindicantes. Monuerunt item, verba v. 30. καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς satis aperte tempus iudicii extremi innuere, de hominibus omnium gentium instituendi, siquidem locus Lucae parallelus c. 21. v. 25. sq. vbi pro φυλαῖς τῆς γῆς potius τὰ ἔθνη τῆς γῆς, ἄνθρωποι, et tota οἰκουμένη commemorata fuerint, aperte doceat, sub illis φυλαῖς τῆς γῆς apud Matthaeum obuiis homines omnium gentium (eos quidem, qui Christo eiusque doctrinae perperam aduersati fuerint) rectius intelligi, quam solos Iudaeos. Concedamus, vocem ἔθνη ad tribus gentis Iudaicae et Israëliticae *rarissime* transferri (v. c. Actt. 4, 27.) neque loca exstare noui foederis, vbi οἰκουμένη solam terram Iudai-

cam significet, nisi forte effatum Actt. 11, 28. exceperis. Quis vero est, qui neget, potuisse Iesum (inprimis vbi sermone prophetico vteretur), etsi v. 30. de excidio Hierosolymae ac poenis grauissimis genti Iudaicae instantibus, neque de iudicio extremo cogitauerit, verissime tamen nuntiare, inter homines omnium (i. e. diuersissimarum) gentium tum temporis luctum grauem exstiturum esse? Perpendamus modo, permagnam Iudaeorum partem, priusquam Hierosolymae fato tristissimo succumberent, in terris exteris versatam esse, inter gentes varias dispersam, atque tantam fuisse Hierosolymae totiusque ciuitatis Iudaicae cladem, vt iure meritoque diceretur populis omnibus, quibus haec Dei vindicta innotuisset, terrorem summum incussisse[14]). Nexum vero orationis illi, de quibus sermo est, interpretes causae suae defendendae ita solent adhibere, vt primum quidem quaestionem a discipulis Christi Matth. 24, 3. propositam, cui soluendae tota oratio Iesu Christi inde a v. 4. vsque ad finem c. 25. obuia inseruiat, deinde verba priora v. 29. quae satis perspicue monstrent, nouum incipere vaticinium, denique, quae v. 31. 35. 36. 43. seqq. et c. 25. v. 31. seqq. obueniant, eam, quam illi defendunt, versus 30. interpretationem efflagitare doceant. Audimus quippe (Matth. 24, 3.) discipulos Iesu Christi, postquam Seruator (v. 2.) nuntiauerat, fore vt templum Hierosolymitanum, cuius structuram magnificam haud pa-

14) Cfr. Flattii obseruationes ad Matth. c. 24. 25. p. 19.

rum admirati fuissent, funditus diruerētur, in monte oliuarum hac quaestione ipsum adeuntes: εἶπε ἡμῖν, πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.[15]) Discipulorum verbis interrogationem duplicem inesse vulgo statuunt, alteram de tempore, quo deuastatio templi euentura sit (siquidem sponte patet, pronomen ταῦτα in hac orationis serie ad ea respicere, quae Iesus v. 2. enuntiauerat οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον etc.), alteram de signis, quorum ope cognoscere liceat, proxime instare aduentum Christi totiusque mundi interitum. Ex his omnino sequi dicunt, Seruatorem commemoratis iis, quae ad calamitates spectarent Hierosolymis instantes, ad interitum quoque mundi nuntiandum transire debuisse, vt quaestionibus propositis omni ex parte satisfieret, neque verba v. 30. (quibus futuram ipsius παρου-

15) Quanquam loco Lucae parallelo 21, 7. haec tantum quaesiuisse dicuntur: πότε οὖν ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον, ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι; Marcus tamen 13, 4. discipulis interrogantibus verba tribuit, quae pariter atque verba apud Matth. obuia docent, eos omnino de συντελεια του αιωνος quaesiuisse: πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον, ὅταν μέλλῃ πάντα ταῦτα συντελεῖσθαι; Ipsa quippe phrasis πάντα ταῦτα suadet (quum Seruatorem v. 2. minime plura eademque diuersa nuntiantem audiamus, sed vnum tantum vaticinium idemque breuissimum edentem) vt verba postrema vertantur: *quale erit signum temporis, quo haec omnia* (ὁσικτικως i. q. *quaecunque ad hoc saeculum pertinent*) *consummari oportet* (*finem habitura sunt*) neque cum aliis: quo haec omnia, quae dixisti, enent um habitura sunt.

σιαν indicaret) hac mente enuntiare *potuisse*, vt in clade ciuitatis Iudaicae depingenda pergeret, nisi ipse auditores ad falsam effati sui interpretationem seducere, vanamque exspectationem in animis eorum excitare voluisset, aduentum suum interitumque mundi euersioni Hierosolymarum fore coniunctissimum. Licet vero principium ipsum inpugnare, cui haec argumentatio innititur. Decretis quippe theologiae Iud. eorum seriorum accuratius inuestigandis, et vsu loquendi N. F. obseruando probe intellectum est, phrasin αἰὼν οὗτος s. ὁ νῦν αἰὼν (cui formula breuior Matth. 24, 3. obuia ὁ αἰὼν respondeat) ex vsu hebraici עולם הזה in libris N. F. saepenumero ita vsurpari, vt tempora vsque ad solennem Messiae aduentum, atque initium regni a Christo condendi elapsura, totamque praesentem hominum rerumque conditionem ad illud vsque tempus duraturam significet, atque αἰῶνι μέλλοντι (עולם הבא) i. e. temporibus inde ab aduentu Messiae elapsuris et meliori rerum hominumque conditioni tum futurae opponatur. Solebant vero Iudaei partem extremam huius saeculi (τουτου του αιωνος), quo ad finem vergente Messias adpariturus esset, tempora vltima s. dies extremos (καιρους ἐσχατους s. ἡμέρας ἐσχάτας), eiusque finem συντελειαν τοῦ αἰῶνος adpellare, pariterque in saeculo futuro (αιωνι μελλοντι) periodum Messianam (regnum Messiae millenarium in hisce terris exstruendum) ab iis, quae posthac futura essent, tempore Messiae consummato, i. e. resurrectione mortuorum secunda, iudicio extremo, fine mundi, παλιγγενεσια rerum omnium, statuque perfectiore in

aeternum duraturo probe distinguebant [16]). Proinde, quod Apostoli (Matth. 24, 3.) signa certa aduentus Christi sollemnis *finisque huius saeculi* cognoscere voluerunt, neque probat, eos hac mente quaestionem illam excitasse, vt insuper *de fine mundi* edocerentur, neque demonstrat, *debuisse* Seruatorem, vt desideriis discipulorum satisfaceret, nuntiata deuastatione Hierosolymae, de iudicio quoque extremo ad homines omnes spectaturo exponere, atque de interitu totius praesentis rerum vniuersitatis. Immo, quicunque interrogationem discipulorum ex vulgaribus Iudaeorum placitis Messianis (quibus Apostoli, quamdiu Christus in his terris versatus est, omnino obnoxii fuere) aestumandam iudicat, eo ipso profiteri cogitur, verba, quae Christus, *priusquam* de aduentu suo loqueretur, v. 29. enuntiauerit (εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν etc.) *non potuisse* a discipulis hunc sermonem audientibus de interitu mundi visibilis (secundum doctrinam iudaicam olim, periodo Messiana exacta, euenturo) signisque eum anteceſſuris intelligi. Nonne vero, quod Christus ipse v. 29. professus est, commutationes illas corporum coelestium grauissimas, verbis sequentibus nuntiatas, *post* (μετα) calamitates eo-

16) Liceat breuitatis causa ad testimonia prouocare, quae Koppe in excursu I. epistolae ad Ephesios addito p. 138. seqq. Berthold in christologia Iudaeorum Iesu Apostolorumque aetate, Erlangae, 1811. p. 38. seqq. De Wette: *bibliſche Dogmatik alten und neuen Teſtaments*, Berlin, 1815. p. 188. seqq. adtulerunt.

rum temporum, de quibus antea ſermo fuerit, euenturas eſſe, palam docet, ſermonem Chriſti inde a v. 29. ad alia omnino tempora atque euenta tranſiiſſe? Concederem, ſi doceri poſſet, deſcriptionem calamitatum Hieroſolymis totique genti Iudaicae imminentium, et ſummae, quam haec euenta in cauſam Chriſti habitura eſſent, efficaciae vsque ad v. 28. ita fuiſſe omni ex parte abſolutam atque conſummatam, vt inſuper nihil de eodem argumento addi poſſet. Quodſi accuratius de eo quaeritur, quo tandem θλῖψις illa ἡμερῶν ἐκείνων v. 29 referenda ſit, facile patet, ſermonem Chriſti ad effatum ſuperius (v. 21. 22.) reſpicere: ἔσται γὰρ τότε θλῖψις μεγάλη etc. Neque vero v. 21. 22. de ipſo vrbis templique Hieroſolymiiani *interitu* (fine et exitu calamitatum, quae Iudaeis immineret) ſed de iis tantum aerumnis et calamitatibus atrociſſimis, quae tempore *obſidionis* Hieroſolymarum (v. 15. commemoratae) [17]) exſtiturae eſſent, ſermo fuerat. Ipſa quippe verba v. 22.: *qui dies niſi contraherentur, nemo eſſet euaſurus*, ſatis aperte dies ipſius obſidionis innuunt. Nulla item demonſtratione indiget, v. 23. 24 25. 26. nihil proferri de interitu vrbis atque ciuitatis Iudaeorum. Propius ad hunc

17) De his aerumnis cfr. Ioſephus de bello iudaico prooem. et l. 5. c. 10. c. 12. Commate 15. non finem, ſed *initium* euerſionis Hieroſolymarum nuntiari, neque ſub τόπῳ ἁγίῳ templum, ſed agrum vrbis Hieroſolymitanae intelligendum eſſe alii interpretes probe docuerunt.

finem rerum iudaicarum nuntiandum verba accedunt commatis 27.: *quemadmodum fulgur ab Oriente exiſtens ad Occidentem vsque conſpicitur, ita ſe habebit cum aduentu filii hominis.* Niſi enim cum nonnullis interpretibus coniicere voluerimus, orationem Seruatoris iam ſupra inde a v. 21. ad ea tempora tranſiiſſe, quae inde ab euerſione Hieroſolymarum vsque ad interitum mundi viſibilis elapſura eſſent (cui ſententiae quo minus calculum addamus, hoc potiſſimum impedit, quod verba cum v. 21. tum maxime 22. partim per ſe ſpectata, partim propter ſeriem ſermonis, quum vocula γαρ antecedentibus nexa fuerint, ſatis dilucide calamitates innuant ex obſidione Hieroſolymarum oriundas, atque Ieſus v. 23—26 repetat, quae ſupra v. 11. eloquutus fuerat, propter ſummam rei grauitatem iterum iterumque diſcipulis inculcanda) largiamur omnino neceſſe eſt, illam Chriſti παρουσίαν v. 27. nuntiatam aliquid inuoluere, quod ad finem rerum iudaicarum pertineat. His probe cohaeret, quod Ieſus v. 28. ſermone vſus prouerbiali docet, vbi homines adſint poena digni, non deeſſe, qui vindicam ſumant. Nolim tamen his concedendis negare, *potuiſſe* ſermonem Chriſti in eodem argumento amplius commorari. Nonne enim ipſa cogitatio euerſionis grauiſſimae rerum iudaicarum, atque victoriae ſplendidiſſimae, quam cauſa Chriſti inter has ciuitatum commutationes reportatura eſſet, animum Chriſti ita tenere potuit, vt, quae v. 27. paucis fuiſſent indicata, v. 29. (vbi δὲ pro γαρ ponitur ex vſu dicendi ſcriptoribus ſacris haud incognito Matth. 23, 5.

Marci 16, 8.) atque 30. vberius [18]) depingeret? Videamus denique, an forte iis, quae sequuntur, commatibus (inprimis v. 31. 35. 36. 43. seqq. et c. 25.) aliquid inhaereat, quod interpretem cogat profiteri, Seruatorem v. 29. 30. de aduentu suo ad iudicium extremum futuro cogitasse. Ac versu quidem 31. mentionem huius iudicii maxime dilucidam fieri existimant, quum hominis filius, vbi venerit, ἀγγέλους suos tuba grauiter sonante instructos legaturus esse dicatur, qui asseclas eius Deo probatos e quatuor coeli plagis ab vna extrema parte ad alteram vsque congregent. Verum enimuero neque de *omnibus* omnino agitur hominibus (quum nonnisi των εκλεκτων mentionem factam videamus), neque propterea dicuntur conuocandi, vt coram Christo iudice adpareant. Desideramus profecto v. 31. descriptionem claram *iudicii* de hominibus probis pariter atque improbis instituendi. Nihil vero impedit, quo minus Christum, genere orationis sublimiori vsum, v. 31. de propagatione prosperrima religionis suae et ecclesiae, post euersionem Hierosolymarum cultusque Leuitici abrogationem in omnibus orbis terrarum partibus futura, numine diuino causam Christi potentissime iuuante, vaticinatum esse censeamus [19]). Inter-

18) Accedere poterat, quod Iesus v. 30. hoc potissimum docere voluit, fore, vt *ipse*, Deo volente, poenam illam atrocissimam Iudaeis infligeret. Cfr. Flattii obseruatt. ad Matth. c. 24. 25. p. 17. 18.

19) ἀγγέλοι h. l. vel doctores innuit Christianos illo tempore

positis admonitionibus, quibus discipulos (v. 32. 33.) iterum cohortatur, vt ad signa temporum, quae nuntiata fuerint, animum probe attendant, additisque nonnullis (v. 34.) quibus breuiter docetur, tempora illa haud ita procul fore remota, pergit Iesus 35. ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται· οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. Quanquam verba Christi *per se spectata* omnino interitum mundi visibilis aliquando futurum nuntiant, haud inepte tamen quaerimus, liceatne vel mo-

---

futuros (quo sensu Luc. 9, 52. alii quidam discipulorum legatorumque Iesu Christi nomine ἀγγέλων veniunt) vel (quem constat maxime solennem esse vocabuli significatum in N. F. obuium) genios coelestes. Quemadmodum genii coelestes in N. F. haud raro dicuntur res humanas curare, atque tutelae et saluti singulorum hominum consulere, ita iisdem (in eiusmodi potissimum sermone, omnia sub sensus vocante) id quoque tribui recte potuit, vt homines omnium terrarum ad vnum coetum (ad ecclesiam vni Domino Iesu Christo addictam) dicerentur collecturi. Cfr. ad Hebraeos 1, 14. Simile negotium homines, qui causae religionis Christianae aduersati fuerint, a regno Christi separandi, eosque poenae aeternum futurae obnoxios reddendi, geniis coelestibus tribuitur in ev. Matth. 13, 40. ἐκλεκτοι, vt saepe (v. c. Matth. 20, 16. cfr. ad Ephess. 1, 4. sqq.), homines adpellantur, quibus Deus per Christum contingere vult consortium regni diuini (ita quidem, vt notio dignitatis eorum internae minime excludatur). Ceterum ipsa, opinor, sermonis sublimitas, qua Christus h. l. vsus est, huic v. 31. interpretationi multo potius addicit, quam coniecturae eorum interpretum, qui oraculum de Christianis, qui Hierosolymae fuerint, in Pellam oppidum et alia loca tutiora euocandis inesse iudicant.

rem illum loquendi prouerbialem, quo Hebraei rem incredibilem, eamue, quae omnino fieri nequeat, non prius euenturam esse dicerent, quam coeli ac terra corruerent (cfr. interpretes ad Matth. 5, 18.) ad nostrum quoque effatum transferre, vel eo prouocare, quod modus indicatiuus temporis futuri in sermone sacro N. F. haud raro ita adhibeatur, vt non tam vim habeat praedicendi, quod certo euenturum sit, quam simpliciter, fieri aliquid *posse*, declarandi (cfr. Matth. 24, 40. 41.)? Quodsi prius probatum fuerit, sententia Christi haec euadit: citius fiet, quod nunquam euenturum esse arbitramur, quam vt mea vaticinia reddantur irrita (euentu gaudebunt certissimo); sin posterius, docet verbis laudatis, fieri quidem posse, vt coeli ac terra corruant, nunquam vero sermones suos fore irritos. Vtroque modo in promtu est, Seruatorem h. l. omnino non id egisse, vt de interitu mundi visibilis vel olim futuro vel nunquam futuro differeret. Praeterea, etsi concessum fuerit, Iesum haec dicentem de interitu mundi aliquo tempore instante cogitasse, minime tamen ex his conficitur, eum *hoc loco*, vbi veritatem tantum sermonis sui sanctissime adfirmaturus esset, de *eodem tempore* cogitasse, quod supra v. 29. 30. in mente habuisset. Pergit oratio Christi v. 36. περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν εἰ μὴ ὁ πατὴρ μόνος. Ecce, inquiunt, Seruatorem ipsa formula ἡμέρα ἐκείνη (qua diem iudicii extremi describi solere alia monstrant effata v. c. Matth. 7, 22. Luc. 10, 12.) palam profitentem, quo tandem illam, quae v. 27. et v. 30.

nuntiata fuerit, παρουσιαν referri oporteat. Liceat vero hos interpretes ad alia N. F. effata ablegare, quae eadem perſpicuitate doceant, phraſin ἡμέρα ἐκείνη aliis quoque temporibus atque euentis ſignificandis inſeruiiſſe (v. c. Matth. 13, 1. 22, 23.)[20]). Reliqua pars capitis 24. partim repetit, euentum illud (παρουσιαν Chriſti) repentinum fore, inexſpectatum, efficacia ſumma conſpicuum, aliis quidem pernitioſum, aliis ſalutare, partim praecepta continet, quibus diſcipuli excitantur, vt animum ſeruent vigilantem, bene praeparatum aduentui futuro Domini. Quanquam omnino haec poſtrema commata (inde a v. 42.) ita ſeſe habent, vt ad diem nouiſſimum transferri egregie poſſint (quapropter non defuerunt viri eruditi, qui, verſus praecedentes de poena gentis Iudaicae grauiſſima interpretati, inde a v. 42. nouum oraculum de rebus vltimis incipere coniicerent) nihil tamen prohibet, quo minus Ieſum, etiam hoc loco de euerſione Hieroſolymarum aliisque rerum commutationibus inde orituris cogitantem, hoc ſibi voluiſſe cenſeamus: quicunque doctrinam de regno diuino inter vexationes ſummas, et calamitates conſtanter profeſſi fuerint, atque miniſtros euangelii fideles ſeſe geſſerint, eo tempore, quo cauſa mea, Hieroſo-

20) Nihil igitur eſt, quod interpretes, qui verſus praecedentes de excidio Hieroſolymarum ciuitatisque Iudaicae explicuerint, concedere iubeat, ſermonem Chriſti inde a v. 36. ad aliud tranſiiſſe vaticinium de rebus vltimis editum.

lymis destructis, triumphum aget splendidissimum, praemiis gaudebunt largissimis (eximie laetabuntur, experiundo quippe cognoscentes, vicisse causam, cui se totos consecrassent, et, quaecunque de auxilio meo ac diuino, causam euangelii potentissime adiuturo nuntiassem, euentu esse comprobata, atque hac ipsa de causa de salute aeterna in regno diuino futuro ipsis promissa et parata laetissima quaeque fiducia inconcussa exspectantes); pudere vero summo, ignominia grauissima, conscientia mala, timore vindictae diuinae adficientur, quicunque perperam ab euangelio defecerint [21]). Idem valet de parabolis c. 25. v. 1—30. obuiis, ad eadem officia spectantibus, quae Iesus c. 24. discipulis suis grauiter iniunxerat. Quod vero partem c. 25. posteriorem (v. 31—46.) adtinet, ea huius sectionis interpretatio, qua singula omnia ad descriptionem iudicii sollemnis *de hominibus omnibus* olim instituendi referuntur, auctoritatem tantam nacta est, vt haud pauci eorum [22]), qui totum sermonem Iesu Christi superiorem (c. 24. et 25. comprehensum) de excidio Hierosolymarum atque poena gentis Iudaicae interpretati fuissent, de his postremis concederent, sermonem Christi inde a v. 31. c. 25. ad aliud vaticinium transiisse, de aduentu eius vltimo edendum. Ingenue tamen profiteor,

21) Cfr. Flattii obseruatt. supra laudatae p. 24. seqq.

22) V. c. Flattius l. l. p. 30. seqq. Jahn in comment. nota 7. land. p. 142.

ex mea quidem persuasione hac in re ad veritatem propius accessisse [23]) V. Keilium, quippe

23) Cfr. *Analekten für das Studium der exegetischen und systematischen Theologie, herausgegeben von Keil und Tzschirner, ersten Bandes drittes Stück, Leipzig*, 1813. p. 177. seqq. Quanquam non deesse video, quae pluribus argumentis a Keilio prolatis commode respondeantur (vt probe docuit V. Wurm in commentatione: observationes ad diiudicandam Keilii sententiam de argumento loci Matth. 25, 31. seqq. pertinentes. Tubingae, 1815. 4.) duplici tamen de causa mihi quoque persuadere nequeo, consilium Seruatoris h. l. proxime eo pertinuisse, ut iudicium illud describeret olim de omnibus gentibus hominibusque exercendum, a) quod in hoc toto sermone nihil omnino de resurrectione mortuorum dicitur, quae ante iudicium extremum, praecuntibus aliis effatis N. T. luculentissimis, omnino locum habitura est, b) quod tota sectio Matth. c. 25, v. 31. ff. commatibus proxime praegressis, vbi Iesus de euersione Hierosolymae, de calamitate Iudaeis instante, de veris religionis suae cultoribus colligendis saluisque praestandis loquutus fuerat, vinculis cohaeret arctioribus. Nolim tamen cum Keilio adfirmare, sub iis, qui v. 32. πάντα τὰ ἔθνη adpellentur, homines *Non-Christianos* esse intelligendos. Etenim (vt taceam, vocab. ἔθνη inprimis πάντα ἔθνη de hominibus gentium diuersissimarum, siue Christiani, siue alii fuerint, explicari *posse* cfr. v. c. Actt. 17, 26. 10, 35.) quanquam scriptura sacra non damnat eos, qui absque culpa sua professionis doctrinae Christianae non fuerint participes redditi, profecto tamen ζωὴ αἰώνιος in libris N. F. vbique ad eos solet referri, qui Christo fidem habuerint, neque vnquam memini, vbi de hominibus agatur, qui religionem Christianam *non* amplexi fuerint, hos appellari εὐλογημένους τοῦ θεοῦ (v. 34.) atque *regnum diuinum* his dici *ab aeternis inde destinatum*

qui probe intellexerit, *hoc loco* nequaquam de hominibus omnibus agi ſecundum facta diiudicandis, ſed de iis tantum, qui vel benefecerint primis religionis Chriſtianae aſſeclis atque doctoribus, vel ſalutem eorum externam neglexerint, remunerandis atque puniendis. De tempore, quo hoc iudicium ex mente Chriſti ſit futurum, Keilius quidem l. l. ſententiam ſuam non profeſſus eſt. Nihil vero obſtat, quo

(v. 34.) Pronocauit quidem auctor huius commentationis eruditae ad phraſin τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων (v. 40. 45.) cui notionem Chriſtianorum vniuerſam ineſſe exiſtimat, ita vt ſub hominibus iudicandis, qui ab illis diſtinguantur, non poſſint niſi eiusmodi homines intelligi, qui a profeſſione religionis Chriſtianae alieni fuerint. Nonne vero, quemadmodum Ieſus Matth. 12, 50. cum alios, qui eum docentem ſedulo audierant, tum diſcipulos interioris admiſſionis ἀδελφούς adpellauit, atque Matth. 10, 42. de diſcipulis ſuis, quos doctores ablegare conſtituerat, phraſin μικροὶ τούτοι vſurpauit, ita etiam h. l. verbis οἱ ἀδελφοί μου οἱ ἐλάχιστοι ſignificatum potuit anguſtiorem vindicare, et Apoſtolos et alios doctores primorum Chriſtianorum intelligens, vexationes haud exiguas inter homines toleraturos? Neque demonſtrare licet, *debuiſſe* ſermonem Chriſti v. 40. et 45. ad eandem notionem reſpicere, quae c. 24. v. 31. voce ἐκλεκτοί expreſſa fuerit. Teneamus quoque, c. 25. v. 43. 45. nihil dici de aduerſariis Chriſtianorum, qui eos perſequuti fuerint, immo de iis tantum ſermonem eſſe, qui neglexerint doctores religionis Chriſtianae. (Ceterum, etſi Ieſus, ex mea quidem perſuaſione, c. 25. v. 31. ff. non hoc potiſſimum egerit, vt iudicium deſcriberet extremum; toto tamen animo agnoſcimus, quae ſub finem huius ſectionis a Chriſto enuntiata fuerint, ad remunerationem reſpicere *aeternam*.)

minus verba v. 31. (c. 25.) ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου etc. eundem, de quo c. 24. v. 30. sermo fuerit, aduentum Christi innuisse censeamus. Quanquam enim c. 25. v. 46. aperte docet, Seruatorem de eiusmodi iudicio cogitasse, quo *sors aeterna* eorum, de quibus agitur, hominum *definienda* esset (id quod haud dubie plurimos mouit Theologos, vt verba v. 31. de aduentu quodam visibili Iesu Christi, iudicium extremum proxime anteceſſuro interpretarentur), minime tamen hoc professus est, illam sortem (κόλασιν αἰώνιον atque ζωὴν αἰώνιον), *quatenus ad vitam saeculi futuri pertineat*, *confestim*, vbi ipse (υἱὸς ἀνθρώπου) venerit, *initium* esse habituram. Quodsi verba v. 31. c. 25. de aduentu quodam Christi in euertendis Hierosolymis ac ciuitate Iudaeorum destruenda conspicuo explicata fuerint, licet omnino vaticinio Seruatoris, nulla interpretatione artificiosa in subsidium vocata, fere hanc sententiam subiicere: vbi maiestas mea excidio Hierosolymarum totiusque Iudaismi, magnisque rerum mutationibus religioni meae atque ecclesiae saluberrimis declarata fuerit, eorum quoque omnium, qui vobis, Apostoli mei aliique similes euangelii doctores, vestraeque saluti externae parum consuluerint, pariter atque eorum, qui erga vos liberales ac benefici fuerint, sortem in perpetuum definiam, s. tum et ipsi luculentissime intelligent, et aliis omnibus patebit, illis quidem κόλασιν, his vero ζωὴν αἰωνιον certo exspectandam.

Vidimus neque verbis ipsis Matth. c. 24. v. 30. obuiis, neque sermoni antecedenti aut

sequenti aliquid inesse, quo demonstretur, Iesum l. l. de iudicio cogitasse extremo, rebusque vltimis. Sequitur, vt argumenta paucis cognoscamus, quae aliis interpretibus recte, opinor, persuaserint, illum Christi aduentum, quem ipse l. l. descripserit, ad excidium Hierosolymarum, ad interitum ciuitatis et oeconomiae Mosaicae, ad mutationes grauissimas inde orituras, religioni et ecclesiae Christianae saluberrimas referri oportere. Ac 1) quidem quae Iesus Matth. 24, 29. de mutationibus grauissimis in sole, luna, stellisque futuris nuntiauit (versui 30. coniunctissima), quum dixerit εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, ita videmus effatis superioribus adnexa (vbi de obsidione Hierosolymae, fonte calamitatum atrocissimarum sermo fuerat cfr. v. 21.) vt pateat, vaticinium Christi ad eiusmodi euenta spectauisse, quae ab illa Hierosolymae obsidione exiguo tantum temporis interuallo seiuncta essent futura. Opponunt quidem, qui sententiam contrariam tuentur, voculam εὐθέως h. l. nonnisi eam vim habere, vt, quaecunque v. 29. 30. nuntiata fuerint, aliquando, exantlatis calamitatibus, de quibus antea sermo fuerit, *subito* euentura esse dicantur, neque accuratius constitui seriem saeculorum intra θλῖψις illas atque has mutationes elapsuram, sed verba μετὰ τὴν θλῖψιν eo tantum consilio adiici, vt doceatur, has mutationes v. 29. 30. indicatas *non* euenturas esse *ante* illa tempora calamitosa. Etsi vero haud negauerim, εὐθέως subinde in N. T. de eiusmodi euento vsurpari, quod, quemadmodum aliud euentum proxime exceperit, ita

etiam recte dici possit celeriter s. repente accidisse (v. c. Actt. 12, 10. Apocal. 4, 2.) nunquam tamen vocula illa per se spectata significationem euenti *repentini* solam obtinet. Verissime item V. Paulus (*Commentar über das Neue Testament.* Vol. I. p. 800 sq.) monuit, non vbique εὐθέως ad ea transferri, quae *statim* post aliam rem acciderint. Recte vero quaerimus, potueritne hac vocula *tantum* temporis spatium comprehendi, quanto finem huius mundi visibilis ab interitu Hierosolymae distare videamus? Praeterea, si Iesus docere voluisset, aliquando, exantlatis calamitatibus Matth. c. 24. vsque ad v. 29. nuntiatis, *subito* grauissimas exstituras esse corporum coelestium commutationes, sententiam suam hoc verborum ordine efferre debuisset: μετὰ δὲ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων εὐθέως ὁ ἥλιος etc.[24]).

24) Neque argumento sententiae suae defendendae satis apto vsi sunt, qui monuerunt, in sermonibus propheticis interdum euenta longo demum temporis spatio elapso adparitura *mox* dici euentura esse, quatenus vaticinium euentum *certum* habiturum sit. Loco enim Ies. 60, 22. dicitur Deus, *suo* tempore (non accuratius constituto) velociter perfecturus, quae nuntiata fuerant. Quod autem effata attinet Apocal. 1, 1. 22, 6. 7. 12. 20. vbi aliquid ἐν τάχει s. ταχέως futurum dicitur, teneamus oportet, argumentum Apocalypseos primarium in eo versari, vt victoria describatur splendidissima, quam religio Christiana de Iudaismo et Paganismo reportatura sit, atque regnum beatorum, cuius homines per religionem Christianam participes sint reddendi (cfr. V. Eichhorn: *Einleitung in das Neue Testament zweyter B. zweyte Hälfte. Leipzig* 1811. S. 365. seqq.) Cuius victoriae initium quum proxime adesset, quo

2) Aliud argumentum, cui ſententia, quam defendimus, innititur, verſus 34. ſuppeditat: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται. Neque enim vſus loquendi permittit, vt formulae γενεα αυτη cum Heumanno,

---

tempore Apocalypſis ſcriberetur, recte dici poterant εν ταχει (*mox*) futura, quae auctor libri nuntiauit. Neque ad locum noſtrum pertinet, quod Petrus epiſt. II. c. 3. v. 8. monuit, omne diſcrimen temporis diuturni ac breuiſſimi coram Deo euaneſcere. Etenim quum Chriſtus Matth. c. 24. minime hoc agat vt oſtendat, quales Deo adpareant temporum rationes, nihil profecto eſt, quod interpretem iubeat, voci ευθεως ſignificatum vindicare ab eo diuerſum, quo in ſermone hominum atque ſecundum humanam temporis computandi et definiendi conſuetudinem vulgo adhibeatur. Alii ſententiae, quam defendunt, vocabulo θλιψις (Matth. 24, 29.) de aerumnis, quibus gens Iudaica per totum terrarum orbem diſperſa etiamnum eſt obnoxia, interpretando conſulere ſtuduerunt. Quae quidem ſententia quam arbitraria ſit, omnis docet ſeries ſermonis Matth. 24, 5 — 28. obuii. Singularis eſt coniectura Weberi (in comment. in notis laudata p. 48. ſeqq.) exiſtimantis, locum Matth. 24, 28. 29. ſic legendum eſſe: — συναχθήσονται οἱ ἀετοὶ εὐθέως. Μετὰ δὲ τὴν θλίψιν etc. Quamuis conceſſerim, hanc textus emendationem ingenioſam eſſe, quum exempla talium transpoſitionum, quae ipſi vocab. ευθεως acciderint, omnino non deſiderentur, atque loco Iobi 39, 30. e verſione graeca ſimiliter legatur: οὗ δ' ἂν τεθνεῶντες, παραχρῆμα εὑρίσκονται οἱ ἀετοὶ; exigit tamen conſenſus codicum omnium atque verſionum antiquarum, vt in lectione vulgari acquieſcamus. Huic enim conſenſui profecto non contradicendum eſt, niſi e lectione vulgari teſtimoniis omnibus confirmata omnino nullam liceat ſententiam ſanam extricare.

Storrio, et aliis quibusdam interpretibus vniuerſa notio populi Iudaeorum, non eorum tantum, qui tempore Chriſti vitam degerint, ſed etiam poſterorum omnium vindicetur (hoc ſenſu: adfirmo vobis, populum iudaicum non prorſus iri exſtirpatum, priusquam haec acciderint); neque mihi perſuadere poſſum, Seruatorem his verbis poſteritatem ſuam tropice ſic dictam, i. e. eccleſiam Chriſtianam innuiſſe. Quae quidem coniectura poſterior (V. Paulo probata omninoque haud exiguo ingenii acumine defenſa, cfr. *Commentar über das Neue Teſtament* Vol. III. p. 463. ſeqq.) hac potiſſimum difficultate premitur, quod vocabulum γενεα, quanquam de poſteris vſurpatur *proprie* ſic dictis, minime tamen vel hoc loco, vel alibi in ea ſermonis ſerie adhibetur, quae demonſtret, Ieſum hanc phraſin ad Chriſtianos tranſtuliſſe[25]). Immo, ſi vſum loquendi ſequimur in libris N. F. ſollennem, quo γενεα homines innuit vno eodemque tempore ſimul viuentes, atque is, qui ſcribit aut loquitur, homines ſui temporis complecti ſolet vocibus αὕτη γενεα (cfr. v. c. Matth. 11, 16. 12, 41. 42. 45. 23, 36. Marci 8, 12. 38. Luc. 7, 31. 11, 29. ſeqq. 11, 50. ſq. etc.) ex effato Seruatoris non poſſumus niſi hunc eruere ſenſum: adfirmo vobis, homines nunc viuentes non eſſe (omnes) morituros, vsque dum haec omnia euenerint. Neque vero

25) Repetere nolumus, quae auctor eruditus libri: *Kritik des Commentars über das neue Teſtament von Hr. D. Paulus, Jena* 1804. p. 153. ſeqq. ſententiae Pauli oppoſuit.

cum Webero dixerim (in comment. saepius laud. p. 41.) Iesum, quum diceret ἕως ἂν etc. ad ea tantum respexisse, quae supra v. 4. 6. 15. nuntiata fuerint. Profecto enim non dixisset πάντα ταῦτα, nisi complecti voluisset, quaecunque inde a v. 5. vsque ad v. 32. vaticinatus fuerat. Eademque formula: παντα ταυτα obstat, quo minus interpretationem arbitrariam eorum amplectamur, qui dixerint, Seruatorem, etsi c. 24. et 25. vaticinium de interitu mundi, atque iudicio extremo ediderit, *interdum* tamen (vt h. l. v. 34.) de eo tantum iudicio cogitasse, quod proxime instaret, de *Iudaeis* exercendo, tanquam *typo* et *symbolo* iudicii extremi. Quodsi consilium Seruatoris huc spectasset, ipse, opinor, perspicue loquendo curauisset, vt auditores horum sermonum, quae Christus subinde de iudicio Iudaeis instante, tanquam symbolo iudicii extremi proferret, ab iis distinguere possent, quae rem ipsam (illo symbolo inuolutam), iudicium extremum describerent. Audimus igitur Christum, si nexum sermonis absque omni partium studio indagauerimus, aperte profitentem, aduentum suum, de quo v. 30. sermo fuerat, haud ita multum fore ab eo tempore remotum, quo haec effata pronuntiaret. Accedit 3) quod neque c. 24. neque c. 25. Matthaei mentio vlla facta est resurrectionis mortuorum. Hanc vero mortuorum resuscitationem futuram esse, priusquam iudicium *solemne ac visibile* de hominibus omnibus instituatur, cum res ipsa docet, tum locus ev. Ioannis c. 5. v. 28. seqq. itemque patet,

non posse mortuos *post* interitum demum mundi visibilis (quem haud pauci interpretes verbis v. 29. c. 24. nuntiari existimant) vitae restitui. Neque opponere licet, notionem resurrectionis mortuorum iis inesse, quae Christus c. 24. v. 31. enuntiauerit. Immo ad ea prouocamus, quae supra nota 19. de hoc effato recte intelligendo disputata sunt. An forte breuitatem sermonis feciſſe putabimus, vt de mortuis resuscitandis h. l. omnino nihil diceretur? Non repugnarem huic argumento, nisi in oculos incurreret, Seruatorem h. l. de aduentu suo atque de mutationibus, quae huic aduentui coniunctissimae futurae essent, sermone satis amplo exposuisse. Consulamus denique *d)* locum Marci parallelum c. 13. v. 24. ἀλλ' ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται etc. Errarunt, opinor, interpretes, qui verbis ἐν ἐκείναις ἡμέραις notionem inesse dicerent iudicii extremi temporisque vltimi mundo visibili interitum adlaturi. Docet quippe vsus loquendi N. F. significandis iis, quae die iudicii extremi futura sint, numerum potius inseruire singularem ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. Pluralis vero εν εκειναις ταις ημεραις, quemadmodum aliis locis spatium temporis (siue breuius fuerit, seu longius) innuit, quod rem gestam, quae vel accidisse, vel futura esse dicitur, aliis quibusdam euentis propius coniungat (v. c. Matth 3, 1. Marci 1, 9. Luc. 2, 1. 4, 2. 21, 23.) ita Marci 13, 24. seqq. grauissimae corporum coelestium mutationes (quibus sollemnis Iesu Christi aduentus v. 26. proxime adnectitur), exactis calamitatibus ex

obsidione Hierosolymarum oriundis (v. 19. seqq.) *mox* dicuntur[26]) exstiturae.

Hucusque de loco Matth. 24. 30. ita disputatum est, vt poneremus, caput Matthaei 24. et

---

26) Neque his contradicit, quod Iesus loco Lucae parallelo (c. 21.) vaticinio de illis corporum coelestium mutationibus suoque aduentu edito (v. 25. seqq.) haec praemisisse dicitur (v. 24.) καὶ Ἱερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν, ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν. Fuerunt quidem haud pauci interpretes, qui verbis Christi hanc sententiam subiicerent: Hierosolymae (deuastatae) a gentibus (paganis) incolentur, vsque dum tempora gentium plane fuerint elapsa (i. e. vsque dum in terra nulli amplius pagani exstiterint, omnibus ad Christum conuersis, aut: vsque dum finis huius mundi venerit, omnibus quoque gentibus terrae finem faciens). Neque vero, etsi haec ratio probata fuerit, necessario inde sequitur, insignes rerum mutationes v. 25. seqq. nuntiatas eo demum tempore dici euenturas, quo πληρωθωσι καιροι ἐθνων. Nonne enim sermo Christi verbis v. 24. postremis aliquid ex iis, quae olim futura sunt, praeoccupare potuit, atque, his obiter additis, v. 25. ad ea redire, quae deuastationi Hierosolymarum (v. 20—24. descriptae) coniunctissima essent futura? Sed vsus loquendi graecus omnino egregie addicit iis interpretibus, qui sub καιροις ἐθνων tempora intelligi malunt gentibus paganis (imperio gentium) opportuna (cfr. Matth. 21, 34.). Qua quidem ratione probata, voculam αχρι h. l. vertendam putauerim: interea dum (quo sensu ἄχρις οὗ in Actis legitur 27, 32.): Hierosolymae deuastatae a gentibus paganis calcabuntur (i. e. adfligentur, durius tractabuntur, contemnentur) interea, dum mensura impleatur temporis gentibus opportuni, i. q. interea, dum paganismus regnet, qui iam cedere debebit religioni Christianae de aduersariis suis omnibus victoriam splendidissimam reportaturae.

25. effata Seruatoris continere, quae eodem ſermone continuo, quo in textu Matthaei adpareant, vno eodemque tempore pronuntiata fuerint. Quid vero, ſi verum viderint, qui coniecerunt, euangeliſtam h. l. coniunxiſſe, quae Ieſus locis temporibusque diuerſis eloquutus ſuiſſet? Defenſorem huius coniecturae ingeniosum atque eruditum exſtitiſſe video V. KRUMMACHERUM in libro: *über den Geiſt und die Form der evangeliſchen Geſchichte* p. 404. ſeqq. Ac primum quidem perpendere iubet interpretes, loco Lucae parallelo c. 21. ſermonem Chriſti, qui v. 10. ſeqq. contineatur, ab iis, quae antea v. 8. 9. vaticinatus fuerit, verbis τότε ελεγεν ita diſtingui, vt pateat, verſum 8. 9. effata complecti Seruatoris minime eodem tempore pronuntiata, quo dixerit, quae inde a v. 10. ſequuntur. Egregie vero docuit FLATTIUS in obſeruationibus ſaepe iam laudatis ad Matth. c. 24. 25. p. 5. eiusmodi phraſes, qualis ſit illa καὶ τότε ἔλεγεν, apud Lucam non vbique praemitti ſermonibus plane nouis, alio tempore peroratis. Neque mihi perſuadere poſſum, Ieſum quaeſtioni a diſcipulis v. 7. excitatae: πότε οὖν ταῦτα ἔσται, καὶ τὶ τὸ σημεῖον, ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι; nihil reſpondiſſe praeter effata breuiſſima v. 8. 9. propoſita. Accedit nexus rerum ſatis perſpicuus, quo verba Chriſti v. 10. de bellis atque ſeditionibus futuris enuntiata iis cohaerent, quae v. 9. dixerat. Veriſſime item contra Krummacherum idem Flattius monuit (p. 5. ſeqq.), vſum ſermonis prolixioris ad vnum idemque argumentum primarium ſpectantis, easdemque ſententias propter ipſam earum gra-

uitatem iterum iterumque inculcantis a consuetudine Iesu Christi non omnino abhorruisse. Grauius est tertium Krummacheri argumentum, ex eo desumtum, quod nonnulla ex iis effatis, quae Matth. c. 24. 25. comprehenduntur, teste Luca aliis locis temporibusque a Christo pronuntiata fuerint (cfr. Matth. 24, 27. Luc. 17, 24. Matth. 24, 40—51. 25, 14—30. Luc. 12, 36. seqq. 17, 26. seqq. 19, 11. seqq.). Quodsi partim hisce vestigiis insistimus, partim probe perpendimus, grauitatem summam argumenti, quod apud Matth. c. 24. 25. tractatum videamus, Iesum omnino mouere potuisse, vt de his euentis iterum iterumque loqueretur atque discipulis officia his vaticiniis adnexa grauiter inculcaret, partim ad alias sectiones euangelii Matthaei animum adtendimus, quae doceant, hunc euangelistam subinde effata Christi temporibus diuersis vel de vno eodemque argumento vel de rebus similibus proposita ad vnum eundemque sermonem retulisse continuum (cfr. V. Eichhornii *Einleitung in das Neue Testament* vol. I. p. 293. seqq.); concedamus oportet, coniecturam, qua Matthaeus sermoni Seruatoris, qui c. 24. 25. adpareat, nonnulla aliis temporibus proposita inseruisse existimetur, omnino esse probabilem[27]). Nolim

27) Id quod praecipua probabilitate de verbis Christi Matth. c. 24. v. 25. 26. 27. obuiis coniici existimauerim, siquidem v. 25. 26. aliis verbis iteratur, quod Iesus v. 25. monuerat, atque effatum v. 27. teste Luca (17, 24.) alio tempore enuntiatum est. Fieri item potuit, vt sectio postrema Matth.

vero his concedendis adfirmare, Matthaeum, *quaecunque* effata Christi Lucas c. 21. non exhibuerit, sermoni Iesu c. 24. 25. enarrato addidisse ex aliis sermonibus depromta. Docet quippe comparatio vtriusque euangelii, in commentario Lucae omnino nonnulla dicta et facta, apud Matthaeum exposita, prorsus desiderari (v. c. Matth. 9, 27 — 34. 13, 24 — 30. 14, 22 — 33. 15, 21 — 28. 32 — 39. 16, 1 — 12. etc.) atque Lucam nonnulla narratione minus integra exhibuisse, quam Matthaeum (v. c. Luc. 8, 10. Matth. 13, 10 — 14. Luc. 8, 21. Matth. 12, 49. Luc. 17, 3. 4. Matth. 18, 21. sq. Luc. 20, 24. Matth. 22, 19. etc.). Quod nostrum locum adtinet, de quo haec tota disputatio instituitur, locis Matthaei, Marci (c. 13.) atque Lucae (c. 21.) parallelis inter se comparandis profecto intelligimus, *effata Christi Matth. c. 24. v. 29. 30. obuia non posse ex alio sermone Seruatoris huc translata iudicari*, immo iis, quae Iesus antea de obsidione Hierosolymarum, de aerumnis inde oriundis, de fraudatoribus tum prodituris fuerit vaticinatus, esse coniunctissima. Nemo enim facile suspicabitur, hosce tres euangelistas omnes eandem

---

c. 25. v. 31. — 46. ex alio quodam sermone Iesu Christi in nostrum transferretur, licetque omnino, hac coniectura admissa, intelligere, quare aduentus ille Christi, de quo iam antea c. 24. 25. saepius sermo fuerat, c. 25. v. 31. iterum formula ampliori ac sollenni commemoratus fuerit. Cfr. insuper h. l. Tychsen comment. de παρουσια Chr. Gottingae 1785.

dem Christi orationem ex diuersis eius sermonibus contexuisse.

Quaesiuerunt item, an forte euangelistae, hos Christi sermones propheticos enarrantes, orationem Seruatoris additamentis quibusdam a Christo omnino non pronuntiatis auxerint, suum sequuti iudicium suamque eorum, quae Christus vere dixerat, interpretationem [28]). Etsi vero largiamur, fieri omnino potuisse, vt Apostoli subinde in vocibus singulis ac formulis enarrandis ab eo dicendi genere, quo Christus hoc vel illo loco vsus fuerat, quodammodo deflecterent; iure tamen meritoque adfirmamus, discipulos Iesu in enarrandis eius sermonibus neque sententias proposuisse a mente Christi alienas, neque vniuersam elocutionis, qua Christus vsus fuerit, indolem immutasse. Prouocamus ad ea argumenta, in scholis atque libris ad Theologiam dogmaticam et introductionem in libros N. F. spectantibus vberius pertractanda, quae demonstrant, discipulos Iesu et in historia eius enarranda et in sermonibus Christi exhibendis vera dicere potuisse ac voluisse, immo debuisse. Neque profecto tota, quam loca Matthaei, Marci, atque Lucae laudata suppeditant, descriptio calamitatis Hierosolymae atque ciuitati Iudaicae instantis tam copiosa est in singulis omnibus euentis huc spectantibus (quae nobis ex historia illorum temporum innotuerunt) notandis, vt suspicio vlla additamento-

28) Cfr. Krummacheri liber supra laud. p. 420. seqq.

rum, quibus vel euangeliſtae vel alii ſcriptores vaticinium Chriſti, euentis ipſis comparatum, ſeriori tempore auxerint, locum habere poſſit [29]). Quo minus eiusmodi coniectura de iis potiſſimum admittatur, quae Ieſus locis laudd. de aduentu ſuo in nubibus coeli futuro dixerit, id maxime inpedit, quod alia euangeliorum effata docent, Ieſum omnino *ſaepius* (locis temporibusque diuerſis) huius aduentus ſui mox futuri mentionem iecisſe (Matth. 10, 23. Matth. 16, 27. 28. Marci 8, 38. 9, 1. Matth. 26, 64. Marci 14, 62. Luc. 22, 69.) neque patet, quomodo euangeliſtis in mentem venire potuerit, vaticiniis illis hunc addere nuntium, Chriſtum mox, Hieroſolymis deſtructis, ſplendide adparitūrum eſſe, niſi Seruatorem ipſum illo tempore his formulis vtentem audiuiſſent. [30])

Audimus igitur Chriſtum aperte profitentem, fore vt, exantlatis calamitatibus atque ae-

---

29) Cfr. V. Paulus: *Commentar über das N. T.* Vol. III. p. 381. nota.

30) Similem viam ingreſſus eſt auctor libri, qui adparatum eximium eruditionis hiſtoricae haud vulgaris exhibet, ſed criſi coniecturali nimium tribuit, Kaiser: *die bibliſche Theologie etc.* Vol. I. (*Erlangen*, 1813.) p. 266. cui loca euangelii Matthaei, vbi Ieſus aduentum ſuum ſplendide futurum nuntiauit, pariter atque complures aliae Matthaei ſectiones ab alienis manibus, euangelia noſtra retractantibus profecta eſſe videntur. Quum vero ſuam de origine euangeliorum ſententiam l. l. breuiter tantum expoſuerit, liceat ad ea prouocare argumenta, quibus alii Theologi, et antiquiores et recentiores, authentiam et integritatem euangelii demonſtrauerint.

rumnis, quae obsidioni Hierosolymarum conjunctissimae futurae sint, mox euanescat solis atque lunae splendor, stellae de coelo cadant, coeli ipsi funditus commoueantur, hominisque filius (Christus) in coelis adpareat, atque veniat nubibus coeli vectus, maiestate summa conspicuus, populis terrae plangentibus. Quanquam vero haud pauci recentiorum interpretum concesserunt, verum vidisse, qui docerent, Seruatorem h. l. de eo tempore cogitasse, quod Hierosolymis, ciuitati Iudaeorum, oeconomiae Mosaicae interitum ac finem esset adlaturum; non omnino tamen defuerunt, qui verbis certe v. 30. mallent sensum proprium, quam tropicum vindicare, ideoque partim ex hoc loco, partim ex aliis effatis, vbi Christus aduentum suum mox futurum nuntiauit, colligerent, Iesum ipsum, quamdiu in hisce terris viueret, prouidentia diuina permittente, persuasioni indulsisse, *proxime instare* tempus quo ipse sellemni modo (sensu proprio) coelitus hominibus adpariturus esset, atque in terram rediturus, ad regnum suum in hac terra inchoandum [31]). Quo diutius hanc sententiam examinaui, eo certius mihi persuasi, eam omnino

---

31) Cfr. Bauer *bibliſche Theologie des neuen Teſtaments* Vol. I. (*Leipzig*, 1800.) p. 127. ſqq. Hartmann *Blicke in den Geiſt des Urchriſtenthums*, *Düſſeldorf*, 1802. V. Keil *Vertheidigung der grammatiſch-hiſtoriſchen Interpretation des N. T.* in diario: *Analekten für das Studium der exegetiſchen und ſyſtematiſchen Theologie*, *erſten Bandes erſtes Stück* (*Leipzig*, 1812.) p. 64. ſeqq.

non posse cum tota indole Iesu Christi, qualis ex sermonibus eius factisque eluceſcat, conciliari, ac sedulo cauendum esse, ne hac in re abusum faciamus interpretationis historicae. Immo, quae Christus locis laudatis Matthaei, Marci, Lucae de grauissimis corporum coelestium commutationibus post calamitates illas, quae obsidioni Hierosolymarum coniunctissimae futurae essent, mox euenturis, atque de semet ipso illo tempore in nubibus coeli splendide adparituro vaticinatus est, ex mea quidem persuasione vsum redolent sermonis propheticopoetici, hoc innuentis, *inde a tempore euersionis Hierosolymarum causam Iesu Christi de aduersariis suis victoriam splendidissimam esse reportaturam, inter grauissimas rerum commutationes in hoc terrarum orbe futuras, atque omnes tum intellecturos, Iesum esse Dei filium et legatum, religionem ab eo conditam auxilio Dei et Christi gaudere efficacissimo, poenis grauissimis adfici, quicunque causae eius sanctissimae aduersati fuerint, salutem contra verissimam omnibus religionis Christianae adseclis veris eiusdemque adiutoribus exspectandam.* Restat igitur, vt paucis doceam, quare de sententia, quam Christus locis laudatis in mente habuerit, ita iudicari et *posse* et *debere* existimem. Quod *prius* adtinet, egregie iam alii interpretes demonstrarunt, prophetas V. T. vbi de grauissimis ciuitatum commotionibus aliquo tempore exstituris, itemque de poena atrocissima huic aut illi populo diuinitus infligenda, aut de libertate ac salute, quam populus quidam diuinitus impetraturus esset loquerentur, haud raro, phra-

sibus vsos tropicis (poëticis), partim nuntiasse, fore vt solis, lunae, stellarum splendor euanesceret, terra contremisceret, coeli commouerentur, partim Deum ipsum dixisse coelitus descensurum. Cfr. Ies. 13, 10. 13. 19, 1. 31, 4. Ezech. 32, 7. 8. Ioël 2, 10. 3, 3. 4. 4, 15. Quis vero est, qui neget, easdem phrases ad interitum Hierosolymae ac ciuitatis Iudaeorum, olim illustris, potentissimae, eximiis Dei beneficiis ornatae recte transferri, atque Iesum ipsum dici potuisse illo tempore in coelis adpariturum, quatenus haec ciuitatis Iudaeorum ruina religionis atque ecclesiae Christianae propagationi saluberrima, itemque alia euenta, ab illo inde tempore in hoc terrarum orbe futura, et visibilia et inuisibilia, partim ex ipsa religionis Christianae propagatione oriunda, partim hanc propagationem eximie iuuantia, palam adparitura essent coelitus oriunda, atque efficaciam Dei et Christi potentissimam eamque natura sua inuisibilem testatura? Neque eiusmodi genus dicendi tropicum ab ingenio et consuetudine Christi alienum fuit. Etenim (vt alia loca innumera taceam, quae omnino probent, Seruatorem non omnia, quae dixerit, sensu proprio enuntiasse) nemo, opinor, facile sibi persuaserit, Iesum vel de aduentu *sensibus externis conspicuo* cogitasse, quum apud Ioannem evang. 14, 23. diceret, se hominem praeceptis suis obsequentem cum Deo patre aditurum esse ac sedem ibi habiturum, vel sensu plane proprio Lucae c. 10. v. 18. dixisse: vidi Satanam fulminis instar coelitus delabentem, vel propriam vim verborum vrgeri voluisse, quum Io. ev.

c. 1. v. 52. discipulis haec nuntiaret: ab hoc inde tempore coelos videbitis apertos, et genios coelestes adscendentes et descendentes ad filium hominis [32]). An forte indoles totius sermonis, qui Matthaei c. 24. 25. locisque parallelis exhibetur, inpedit, quo minus orationem Christi h. l. altius exsurgere potuisse censeamus? Concedimus quidem, eam partem sermonis Iesu Christi, quae Matthaei c. 24. v. 4—28. contineatur, non omnino eadem sublimitate

---

32) In promtu est, Iesum l. l. documenta innuere luculentissima, quae discipulis testatura sint, ipsum esse Dei filium atque legatum, quem singulare Dei auxilium adiuuet. Cfr. quae de hoc l. verissime monuit V. *Kuinoel* in commentario ad libros N. T. historicos Vol. III. p. 160. sq. Addere obiter liceat, ex eo loco, quem Censor doctissimus commentationis meae in nota 9. laudatus interpretationi meae opposuerit, Actorum c. 1. v. 11. minime sequi, verba Christi apud Matth. 24, 30. sensu plane litterali intelligenda esse (de ipsa Christi persona in nubibus apparitura). Dicuntur l. l. duo viri vestibus candidis induti, familiares Christi, ad Seruatorem in coelos digressum oculos attollentes, ita alloquuti esse: quare adstatis, Galilaei, coelum versus intuentes? οὗτος ὁ ἰησοῦς, ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται, ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. Nolim omnino ex his verbis aliquid eruere, quod ad locum Matth. 24, 30. explicandum faciat, quum illa minime ab ipso Iesu Christo, sed a duobus viris (qui quales fuerint? Lucas non accuratius definiit) pronuntiata fuerint, atque praeterea de eo ambigi possit, vtrum viri illi, de Christo redituro loquentes, de reditu quodam proxime instante, an de tempore admodum remoto cogitauerint.

esse insignem, quae v. 29. seqq. adpareat (si a sensu horum verborum litterali discessum fuerit). Verissime tamen adfirmamus, non omnia deesse vestigia sermonis prophetici, altius exsurgentis. Consulamus modo parallelismum membrorum v. 6. 7. et v. 16—19. obuium, ad sermonem Psalmorum et oraculorum V. T. propius accedentem, vsumque loci Danielis v. 15. factum. Nemo autem facile ab vsu et consuetudine scriptorum vel antiquiorum vel recentiorum abhorrere iudicabit, quod in vno eodemque semone alia quidem proprie enuntiata, alia tropice dicta obueniant. Neque intellectu est difficile, vnde vis illa atque sublimitas verborum Christi eximia inde a v. 29. exstiterit? Iam enim sermo Christi ad euenta accedit omnium, quae c. 24. tetigit, grauissima. Immo mirum dicerem, nec facile ex ipsa conditione animi Seruatoris, quae tum obtinuit, intelligendum, si Christus illo loco atque tempore, quum vrbem Hierosolymarum totamque regionem circumiacentem, olim vastationi atrocissimae obnoxiam futuram ex monte oliuarum contemplaretur, de morte sibi proxime instante persuasissimus esset, mutationes grauissimas animo perpenderet, quas Deus per ipsum in orbe terrarum effecturus esset, quaecunque animo volueret, vulgari orationis genere enuntiasset. Nonne insuper commemoratio tubae grauiter sonantis angelorum (v. 31.), vsus phraseos ἐκ τῶν ἀνέμων τεσσάρων (v. 31.), exempla quae v. 40. 41. sententiam illustrant vniuersam, parabolae plures inde a v. 43. c. 24. et c. 25. propositae, imagines ouium atque hoedorum c. 25. v. 32.

seqq. ad duo diuersa hominum genera translatae summa perspicuitate eam redolent sermonis indolem, quae interpretem prohibeat, quo minus propriae cuiusque vocis ac phraseos potestati nimis inhaereat, eumque concedere iubeat, eam, quam supra professus fuerim, de sensu quo Iesus aduentum suum in nubibus coeli futurum praedixerit, persuasionem admitti omnino posse? Quod vero argumentum attinet interpretationi nostrae nuperrime a Censore doctissimo supra nota 9. laudato oppositum, verbis v. 33. tautologiam obtrudi haud ferendam, si quis in explicando v. 30. aliquid voluerit sermoni tribuere figurato, hoc quidem sensu prodeunte: si videritis, causam regni diuini triumphum agere, et magis magisque promoueri, cognoscatis inde, regnum diuinum appropinquare; ipsa, opinor, vtriusque loci comparatio docet, hanc difficultatem minime eo tolli posse, quod verbis v. 30. singulis nihil praeter sensum proprium ac litteralem tribuamus. Nonne enim, hac ratione admissa, si voces παντα ταυτα (v. 33.) ad ea referre voluerimus, quae v. 30. et 31. enuntiata leguntur, haec sententia proditura est: si Christum videritis splendide nubibus venientem, suosque asseclas ex omnibus terrae regionibus colligentem, cognoscatis inde, regnum diuinum prope instare? Recurrit, opinor, eadem difficultas, cui nostra versus 30. interpretatio obnoxia esse dicitur. Regnum quippe diuinum profecto rectius *inchoari* siue *adesse* quam εγγυς ειναι επι θυραις dicebatur, Christo ipso splendide apparente, suosque asseclas vndique congregante. Immo

tota phrasis: παντα ταυτα non tam ad v. 30. et 31. referenda est, quam ad ea, quae Christus supra inde a v. 14. vsque ad v. 26. de signis monuerat, ex quibus recte colligi possit, *aduentum suum* (παρουσιαν cfr. v. 3. v. 57.) prope instare. Ad verba v. 33. εγγυς εστιν rectius suppletur υιος του ανθρωπου, quam βασιλεια του θεου. Addo, eiusmodi interpretationem, quae aliquid tribuat sermoni prophetico et poëtico, h. l. omnino esse *necessariam*. Quid enim, quaeso, sequitur, si nonnullis recentiorum Theologorum concessum fuerit, Seruatorem ante mortem suam exspectationem nutriuisse, cui euentus non responderit, reditus sui visibilis in nubibus coeli *proxime* futuri? Nonne errasse dicendus est, quem Deus, Seruatorem mundi proditurum, reuelatione singulari de rebus diuinis edocuit, cui auxilium contingere iussit potentissimum, cuius sermones fontem perennem exstare voluit doctrinae religionis morumque aeternum valiturae? Concedunt, errasse Iesum, eumque, quatenus natura humana indutus in hac terra viueret, hac in re errare potuisse inde probant, quod ipse in ev. Marci c. 13. v. 32. aperte professus fuerit, tempus momentumue huius euenti (aduentus sui) neque sibi esse cognitum, neque geniis coelestibus, sed soli Deo patri. Verum enimuero aliud est, profiteri, hanc illamue rem sibi esse incognitam, aliud, exspectationem proferre vanam, quam persuasione certissima amplexus fueris. Neque difficultatem huius coniecturae eo tollunt, quod respondent, prouidentiae Dei placere potuisse, vt Seruator ipse, quamdiu in his terris viueret, huic

errori indulgeret, quo maiori efficacia per ipsam exspectationem Jesu Christi proxime sollenni modo redituri atque in nubibus coeli adparituri propagatio religionis Christianae celerrima adiuuaretur. Etsi enim largiar, inbecillitatem humanam parum decere, numini diuino viam, quae ineunda sit, veluti praescribere, repugnat tamen notioni numinis veracissimi atque sanctissimi, si quis Deum in animo doctoris diuini, quem ipse *Seruatorem totius generis humani*, atque *auctorem religionis aeternum valiturae* constituerit, eiusmodi errorem (quanquam saeculo cuidam salutarem) vel excitasse vel admisisse dixerit. Neque video, quomodo eiusmodi coniectura persuasioni de summa numinis diuini sapientia conciliari possit. Nonne enim, si concessum fuerit, Iesum hac in re, prouidentia diuina permittente, exspectationi vanae indulsisse, eodem iure auctorem religionis nostrae in aliis effatis, quae his illisue nostrorum temporum Theologis parum probata fuerint, a vero aberrasse existimabimus? Licetne nobis, eiusmodi tramitem ingressis, auctoritatem Christi diuinam recte defendere? Qui tandem limites adparebunt, quibus errores Christi ab iis distinguantur, quae nulli dubitationi sint obnoxia (nisi forte placuerit, ea tantum, quae ratio humana sponte agnouerit, indubitata pronuntiare, atque ita totam religionem Christianam, id quod haud pauci Theologorum nostrorum voluerunt, in meram conuertere naturalem)? Probe quidem intelligimus, grauiter nobis aduersaturos esse eos Theologos, qui persuasionem de reuelatione diuina,

quae Christo contigerit, extraordinaria, in eiusmodi quaestionibus tractandis recte poni prorsus negare soleant. Licet vero his aliam obiicere quaestionem: quae tandem res Christo opportunitatem eiusmodi vanam exspectationem (qualem illi existiment) persuasione certa amplectendi suppeditare potuerit? Respondent, Iudaeos seriores exspectasse, Messiam, vbi tempus constitutum venerit, aliquo loco subito esse adpariturum, dignitatem suam Messianam declaraturum, suumque opus vno veluti ictu inchoaturum. Verum, quantum equidem sentio, aberrant omnino ab indole Christi, qualem et facta eius diuina, et sermones exprimunt, neque vsum rectum faciunt interpretationis historicae, qui hanc illamue sententiam sermonibus Christi ea tantum de causa recte vindicari adfirmauerint, quod pateat, eam Iudaeis probatam esse tempore Christi viuentibus. Perpendamus modo, quanta perspicuitate Christus haud raro exspectationibus Iudaeorum vulgaribus ad regnum Messiae terrestre spectantibus repugnauerit[33]) (etsi subinde phrasibus Iudaeorum de regno diuino vsurpatis accommodate loquutus fuerit v. c. vbi salutem illam tropice tanquam epulas lautas describeret), quantâ grauitate traditionibus contradixerit Pharisaeorum (Matth. c. 23. aliisque locis permultis), quam sapienter legem Mosaicam ita interpretatus fuerit, vt perfectiorem morum doctrinam substitueret (Matth. c. 5.), quantopere (vt verbo

33) Cfr. quae praeter alios hac de re disseruit Io. Christ. Koken in comment. de reditu Messiae ad iudicium gentium (Gottingae, 1800. 4.) p. 31. sqq.

dicam) et loquendo et agendo doctorem ſeſe geſſerit ingenio ſaeculi minime obnoxium, ſaeculi emendatorem [34]). Accedit, quod illa, quam ſupra diximus, opinio Iudaica *ne omnibus quidem Iudaeis ſerioribus* probata eſt [35]). Neque memini, vllum locum ex ſcriptis rabbinicis aut talmudicis excitatum eſſe, quo ille Meſſiae aduentus iisdem plane formulis deſcribatur, quae apud Matth. 24, 30. locisque parallelis obueniant. Denique Seruatorem ipſum loco Matth. 24, 26. 27. (coll. Luc. 17, 20—25.) haud obſcure audimus innuentem, ſe omnino non cogitaſſe de perſona ſua tempore, quo Hieroſolymae deſtructae fuerint, aut ſtatim poſt euerſionem illam ſenſu proprio coelitus adparitura. Dicit enim l. l. ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν· ἰδοὺ, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστί μὴ ἐξέλθητε. ἰδοὺ, ἐν τοῖς ταμείοις· μὴ πιστεύσητε. Si vobis dixerint, Chriſtum in deſerto verſari, nolite egredi; aut, in conclaui eſſe, ne fidem habeatis. *Negat, ſe hoc aut illo potiſſimum loco adparaturum eſſe*, eamque ſententiam porro illuſtrat hac ratione addita verſu 27. (cuius verba

---

34) Lectu ſunt digniſſima, quae V. Stäudlin in comment. *über die blos hiſtoriſche Anslegung der Bücher des N. T.* in diario: *kritiſches Journal der neueſten theologiſchen Litteratur von Ammon und Berthold erſten B. 4. Stück. Zweyten B. 1. und 2. Stück* (*Sulzbach*, 1814.) atque Stein: *über den Begriff und oberſten Grundſatz der hiſtoriſchen Interpretation des N. T.* (*Leipzig*, 1815.) inprimis p. 90. ſeqq. itemque in commentatione: *über den Begriff und die Behandlungsart der bibliſchen Theologie des N. T.* in diario: *Analekten für das Studium der exegetiſchen und ſyſtematiſchen Theologie von Keil und Tzſchirner, dritten B. 1. Stück, Leipzig*, 1816. 8. p. 198—204. veriſſime monuerunt.

35) Cfr. Berthold christologia Iudaeorum Ieſu Apoſtolorumque aetate p. 84. ſq.

ad idem ſpectare euentum, quod Jeſus infra v. 30. nuntiauerit, ipſa docet verborum ſimilitudo, praeſertim formula παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου): ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Quemadmodum enim fulgur ab Oriente exiſtens ad Occidentem vsque conſpicitur, ita ſe habebit cum aduentu filii hominis. Quodſi hoc effatum partim verſui 26. (cui verba v. 27. vocula γαρ nectuntur) partim loco Lucae laudato [36]) contulerimus, facile patebit, imagine a fulmine depromta non tantum notionem Chriſti *ſubito* venturi exprimi, ſed etiam hoc doceri, *euentum illud, quod ipſe* παρουσιαν

---

36) Verba apud Lucam 17, 20. obuia: οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως non omnino quidem negant, βασιλειαν θεου ita eſſe venturam, vt mutationes efficiat, quae in ſenſus cadant (ſiquidem ipſe Chriſtus partim iis, quae inde a v. 31. ſequuntur, partim imagine fulminis v. 24. ad παρουσιαν filii hominis translata ſatis aperte notionem mutationum exprimit viſibilium) ſed hoc adfirmant, neminem initium regni diuini ſenſibus obſeruaturum. Explicantur verbis v. 21. οὐδὲ ἐροῦσιν. ἰδοὺ ὧδε, ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ· Neque erit, quod dicatur, hic adeſſe aut illic. Addit: ἰδοὺ γάρ, ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν. Quanquam εντος ſubinde de iis dicitur, quae in animo ſunt, nolim tamen hanc vocis poteſtatem ad noſtrum locum transferre, ita vt Chriſtus docuiſſe exiſtimetur, regnum diuinum *nonniſi* rem eſſe inuiſibilem. Immo praeſtat vulgarem ſequi illius voculae poteſtatem: *inter* (cfr. Kuinoelii comment. ad h. l.) ac verbis Chriſti hunc ſenſum vindicare: nolite de certo cogitare temporis momento, aut loco, quo regnum diuinum dici poſſit initium habiturum. Immo regnum diuinum (quod natura ſua immenſum eſt, et terram pariter ac coelos, viſibilia pariter ac inuiſibilia complectitur) iam nunc inter vos conſtituitur, i. e. iam nunc inter vos conſtitui incipit ſocietas hominum, qui mea doctrina, mox latiſſime propaganda, ad perfectiorem Dei cognitionem cultumque adducuntur, de ſalute olim (in coelis) futura laetiſſima quaeque ſperantes.

filii hominis adpellauerit, etsi omnino efficaciam summam longe lateque patentem habiturum sit, omnibusque conspicuum futurum, ita tamen fore comparatum, vt neque temporis momentum, qua incipiat, neque locum, vbi existat (locum certum vbi Christus venisse dici possit), *neque ambitum eius sensibus externis accurate obseruare liceat et comprehendere.* Egregie haec omnia conueniunt ei verborum Christi (Matth. 24, 29. 30.) interpretationi, qua aduentum suum visibilem proxime instantem tropice nuntiasse existimatur, quatenus, Hierosolymis euersis, regnum diuinum *praesens* (et visibile et inuisibile cfr. infra nota 36), exspectationi salutis olim futurae atque aeternae omnium, qui causam Christi diuinam recte agnouerint, coniunctissimum, efficacia summa per totum terrarum orbem propagaturus esset. An vero Apostoli verba Christi locis laudatis de aduentu quodam visibili pronuntiata sensu plane proprio intellexerint, etsi Iesus ipse (vt supra docui) haud obscure sensum effati sui innuerit sublimiorem, aliisque locis pluribus ad regnum diuinum spectantibus (v. c. vbi Iesus salutem regni diuini *futuri* tanquam epulas describeret) probe intellexerint, imaginem ab ipsa sententia esse distinguendam (nullo enim loco Apostolos videmus gaudia sensuum in regno diuino exspectantes), itemque, quibusnam de causis sapientiae Dei infinitae placere potuerit, vt Apostoli per aliquod certe temporis spatium eiusmodi interpretationem illius effati litteralem sequerentur? non huius est loci atque temporis accuratius inuestigare. Ceterum, ne quis sententiam meam perperam

interpretetur, addere paucis liceat, efficaciam illam Iesu Christi ad coelos sublati gloriosam, religioni Christianae et iis omnibus, qui veritatem admittere voluerint, saluberrimam, quam ipse aduentum suum appellauerit in nubibus coeli splendide futurum, ex mea quidem persuasione *non vnice* ad euersionem Hierosolymae, et, quae proxime insequuta fuerint, euenta esse referendam, immo tot ac tanta complecti, vt neque cogitatione nostra haec omnia assequi, neque lingua humana eloqui possimus. Quemadmodum natura atque indoles sermonis prophetici omnino secum ferre solet, vt haud raro rebus praesentibus futurae, euentisque mox futuris remotiora adnectantur, iisdemque verbis ac formulis subinde tempora admodum diuersa comprehendantur, ita etiam Christus, quum aduentum suum in nubibus coeli mox futurum commemoraret, ab euersione Iudaismi (proxime quidem his verbis nuntiata) animum simul ad alia euenta remotiora attollere potuit, quae eandem efficaciam Christi glorioſam, in regno diuino amplius proferendo et perficiendo conspicuam, porro declaratura essent. Cfr. quae V. Flatt in spicilegio obseruationum ad epistolam Iacobi catholicam, Tubingae, 1806. 4. p. 47. et Borger in libro: commentationes de euangelio Ioannis cum Matthaei, Marci, et Lucae euangeliis comparato, p. I. Lugduni Batav. et Hagae Comitum, 1816. 8. p. 37—39. (in nota) recte monuerunt. Verissime docet ecclesia, et venisse Christum, et olim esse venturum.

Commentatio Duodecima*).

De Ioanne Apoſtolo doctrinae ſuae nouitatem pariter ac vetuſtatem vindicante (epiſt. I. c. 2. v. 7—15.).

*) Edidi hanc commentationem, ad dies feſtos memoriae nati Ieſu Chriſti ſacros rite celebrandos inuitaturus Ienae a. MDCCCXVI.

Quanquam interpretatio epistolarum, quas Ioannes dedit, ei, qui primum ad eas legendas accesserit, facile possit res facilis videri atque expedita, quum Ioannes neque argumentationem adhibuerit ex decretis Iudaeorum aevi serioris, eorumque interpretandi more typico et allegorico desumtam, neque voces phrasesque difficiliores rarioresque vsurpauerit, periodosue longiores atque perplexas; haud pauca tamen obueniunt, quae, si rem accuratius spectaueris neque officio interpretis obiter ac leuiter volueris defungi, explicationem harum epistolarum (primae potissimum) omnino difficultatibus suis obnoxiam reddant. Licet autem ex ipsa scribendi ratione Ioannea causam huius rei principem atque primariam repetere. Id enim maxime pertinet ad indolem sermoni Ioanneo propriam, vt haud raro vni eidemque substantiuo significationem duplicem, et propriam, et metaphoricam, et angustiorem, et latiorem tribuat, vt facile aliquid omittat, quod lectorem, qui seriem sermonis prorsus perspi-

cere voluerit, cogitando addere oporteat, vt voces quasdam (v. c. ὅτι) frequenter eo modo ponat, qui verba ac membra singula diuersimode strui et explicari patiatur, vt facile ab vno subjecto ad alterum transeat, neque satis aperte prodat, quonam pronomina οὗτος, αὐτὸς, ἐκεῖνος referenda sint, vt omnino indefinitius loquatur. His vero difficultatibus feliciter superandis eiusmodi interpretationem accommodatissimam esse intellexi, quae partim nexum sermonis accuratissime teneat, partim eas potissimum notiones et sententias, quas animo Ioannis prae ceteris obuersatas esse, lectio docet euangelii atque epistolarum, similitudinem locorum (vbi eadem sententia more Ioanneo iteratur), parallelismum membrorum, in commatibus singulis apud Ioannem frequenter obuium, in auxilium vocare soleat. Constitui haec tractandis iis, quae capite II epistolae primae v. 7—15. obueniunt, et diuersimode intellecta sunt, vberius illustrare.

1 Io. 2, 7—15.

Audimus Apostolum v. 3—6. iterum iterumque sanctissime adfirmantem, neminem recte nosse Iesum Christum, ac Deum perfecte amare, nisi, qui praeceptis Christi obediat, totamque vitae suae rationem ad exemplum Christi praestantissimum componat. Addit, quae hac epistola scribantur, prorsus consentire iis, quae Christiani inde ab initio institutionis Christia-

nae acceperint. V. 7. ἀδελφοὶ [1]), οὐκ ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, ἀλλ' ἐντολὴν παλαιὰν, ἣν εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς· ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιά ἐστιν ὁ λόγος, ὃν ἠκούσατε (ἀπ' ἀρχῆς). Varie quaesitum est, quale praeceptum, seu quaenam praecepta (numerus quippe singularis εντολη subinde complexum s. ambitum plurium praeceptorum ac decretorum innuit cf. 2 Petri 2, 21. Hebrr. 7, 18.) Ioannes intellexerit, quum diceret, εντολην, quam Christianis suis scribat, minime nouam esse? Ipsa, opinor, explicatio, quam scriptor verbis suis adiicit: ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιά ἐστιν ὁ λόγος etc. ostendit, Apostolum h. l. neque vnum illud praeceptum, quod hac epistola studiosius commendauerit, de amore vero Christiano aliis praestando, neque eam tantum enuntiationem innuisse, quae v. 6. antecesserit, *sed omnino praecepta ac decreta verae doctrinae Christi et Apostolorum accommodatissima, de iis potissimum* cogitantem, quae in hac prima epistola de vera hominum cum Deo et Christo communione, de necessitate vitiositatis fugien-

---

1) Quanquam lectionem auctoritate plurium codd. (in quibus nonnulli sunt admodum antiqui) et versionum veterum seruatam, itemque apud patres quosdam obuiam ἀγαπητοὶ Millio, Bengelio, Griesbachio praeplacuisse video; malim tamen scripturam vulgarem ἀδελφοὶ cum Wettstenio et Matthaeio in textu retinere. Etenim, quum haec ipsa compellatio blanda Christianorum ἀγαπητοὶ in hac epistola multo frequentius occurrat (cfr. c. 3. v. 2. v. 21. c. 4. v. 1. v. 7. v. 11.) quam ἀδελφοὶ (c. 3. v. 13.), prius illud facile in nostrum quoque locum ex correctione seu glossemate antiquo transferri potuit.

dae, et innocentiae Seruatoris imitando exprimendae, de amore Christiano ejusque praestantia, et hucusque eloquutus fuisset (inde a V. 5. C. 1.) et porro esset monuturus. Cfr. inprimis c. 2. v. 6. 10. 11. 14. c. 3. v. 11. Substantiuum vero λογος solere de doctrina diuina vniuerse dici neminem fugit (Actt. 4, 4. 6, 2. 7. Epheff. 1, 13. al.). Hanc doctrinam Christiani, quibuscum Ioannes loquitur, inde ab initio (απ' αρχης cfr. v. 24.)[2]) i. e. inde ab eo tempore, quo ad sacra Christiana transierunt, acceperant atque tenuerant. Respicit vero Apostolus, ni omnia me fallunt, ad doctores vanos, in coetibus Christianorum Asiaticis versantes, hac ipsa epistola pluribus locis grauiter notatos, qui originem Iesu Christi diuinam, eiusque dignitatem summam, humana omni maiorem agnoscere nollent, et doctrina sua pariter atque exemplo eius-

2) Posterius quidem ἀπ' ἀρχῆς, quod sub calcem versus 7. iteratur, omnino valde suspectum est. Desideratur quippe in pluribus bonae notae codicibus antiquis et versionibus, neque patres omnes, qui ad effatum Ioanneum respiciunt, hoc additamentum agnouisse videntur. In promtu est, repetitionem huius phraseos h. l. prorsus esse otiosam, siquidem, ut pateret, sub illa ἐντολὴ παλαια, quam Christiani ab initio inde habuissent, omnino λογον, doctrinam iis traditam intelligi, prorsus sufficeret dixisse: ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιὰ ἐστιν ὁ λόγος, ὃν ἠκούσατε, inprimis quum Ioannes iam antea dixisset ἣν εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς. Potuit autem facile posterius ἀπ' ἀρχῆς vel ex incuria librariorum, quorum oculi a verbo ἠκούσατε ad verbum superius εἴχετε aberrauerant, vel ex interpretamento eorum proficisci, qui vocem ἠκούσατε, tempore notando, accuratius definire voluerunt.

modi vitae rationem commendarent, quae ab indole et voluntate Christi plane aliena esset. (Cfr. v. 18—24. c. 3, v. 7. c. 4. v. 1—6.) Doctrinae nouae, quam illi iactitarunt, eidemque vanae opponit Ioannes suam institutionem, antiqua tradentem, eademque doctrinae verae euangelicae prorsus consentanea[3]). Addit tamen, eadem placita, quae εντολην παλαιαν adpellauerit, quodammodo noua esse v. 8. Πάλιν ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ὑμῖν· ὅτι ἡ σκοτία παράγεται, καὶ τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ἤδη φαίνει. Voculam πάλιν haud pauci quidem interpretes h. l. vel repetitioni significandae inseruire existimant (*iterum trado* s. *repeto* vobis praeceptum, quod nouum dici potest etc.) vel, quo sensu παλιν Matth. 5, 33. aliisque locis pluribus occurrit, continuationi (iis, quae modo scripsi, *porro* placitum addo, quod nouum appellare liceat). Quodsi posterius amplecti volueris, necesse est, illam εντολην ad ea tantum referas, quae v. 10. 11. de officio dicantur alios

3) Subtilius, opinor, quam verius nonnulli verba ἣν εἴχετε ad homines Iudaeo — Christianos (qui iampridem, quamdiu Iudaei essent, praeceptum de amore mutuo ex lege Mosis et prophetarum cognitum habuerint), sequentia vero ἣν ἠκούσατε ad homines Ethnico-Christianos spectare existimarunt. Immo, quum tota ῥησις: ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιά etc. eo consilio addatur, vt enuntiationem integram, quae antecesserit ad omnes illorum coetuum Christianos pertinentem: ἀδελφοί — εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς, accuratius explicet atque definiat, patet inde, et prius εἴχετε et posterius ἠκούσατε ad *eosdem* Christianos referendum esse (sine Iudaei olim fuerint, sine pagani).

diligendi, ſiquidem Apoſtolus hucusque (c. 1. et c. 2. v. 1—8.) huius potiſſimum praecepti mentionem nullam fecerat. Malim cum nonnullis vertere: rurſus, viciſſim, *auf der andern Seite*. Sic enim παλιν interdum adhibetur, vbi ſcriptor aliquid enuntiat, quod antea dictis quodammodo opponitur. Matth. 4, 7. 2 Corr. 10, 7. cfr. Vigeri liber de praecipuis graecae dictionis idiotiſmis ex ed. Hermanni Vol. I. p. 440 ſq. Docet autem comparatio verſus ſeptimi et octaui, his omnino aliquam ineſſe oppoſitionem, quum Apoſtolus adfirmet, *eadem* praecepta ac decreta, verae doctrinae Chriſti et Apoſtolorum prorſus conſentanea (cfr. quae ſupra ad verba εντολην παλαιαν ην ειχετε etc. diſputata ſunt), ſenſu *diuerſo* et antiqua et noua dici poſſe. Praecipua vero exſtitit ſententiarum diuerſitas de iis, quae ſequuntur: ὃ ἐστιν ἀληθὲς etc. atque de eo maxime diſputatum eſt, quonam pronomen ὅ pertineat, et quo ſenſu fuerit praepoſitio ἐν adhibita? Plures quidem interpretes, probe memores, genus pronominis ſubinde generi vocis ſequentis, quae praedicatum enuntiet accommodari (cfr. ad Galatas 3, 16. ad Epheſſ. 6, 17.), voculam ὃ ad illam εντολην καινην referri iubent (i. q. ἥτις ἐστιν ἀληθὴς etc.) et praepoſitioni ἐν vim phraſeos latinae: *quod attinet ad*, ſ. *ratione habita* tribui (ev. Io. 4, 37. 1 Corinthh. 14, 11. 1 Timoth. 1, 2.) ſenſumque totius φησεως: quae doctrina vera eſt ratione et illius (Ieſu Chriſti) et veſtrum habita, huc redire putant[4]): *quae doctrina re vera a Ieſu Chriſto pro-*

4) Hanc rationem recentius probatam video interpreti erudito

fecta (ſ. *tradita*) *eſt*, *vobisque certo perſuaſa eſſe debet* ſ. *et vobis hucusque certo perſuaſa fuit.* Quanquam ipſe hanc interpretationem in verſione mea librorum N. F. latina probaueram, ita tamen, loco Ioannis iterum iterumque perluſtrato, duritiem eius ſentio, vt calculum ei amplius addere non poſſim. Non omnino patet, quomodo eiusmodi ſententia ſatis perſpicue ſic potuerit enuntiari, vt doctrina commemorata *ratione* et Ieſu Chriſti et Chriſtianorum *habita* vera eſſe diceretur? Maluerunt alii[5]) pronomen ὅ ad *nouitatem*, quam Ioannes v. 8. ineunte commemorauerat, της εντολης referre: *quae doctrina profecto noua eſt, et ipſius Ieſu Chriſti et veſtrum ratione habita.* Exiſtimant quippe, Apoſtolum praeceptum illud, quod ipſe Ieſus Io. 13, 34. εντολην καινην appellauerit, de amore vero aliis ad exemplum Chriſti praeſtando, duplici de cauſa *nouum* dici voluiſſe, par-

---

Fritzſchio in commentatione: *Bemerkungen über die Briefe Iohannis in Henkens Muſeum für Religionswiſſenſchaft in ihrem ganzen Umfange dritten Bandes erſtem Stück* S. 142. ſeqq. vbi ſub εντολη παλαια (v. 7.) praeceptum intelligit de exemplo Chriſti imitando v. 6. propoſitum, εντολην vero καινην ad verba refert v. 9. ὅτι ἡ σκοτία παραγεται etc. vertitque: *wohl aber iſt folgende Belehrung neu, die in Hinſicht auf ihn (Ieſum) und auf euch Wahrheit enthält: Finſterniſs iſt vergangen und das Licht erſchienen.*

5) cfr. *Eucharius Oertel* in libro: *die Briefe Iohannis hebraismenfrey überſetzt und erklärt*, 1795. et *B. Mori* praelectiones exegeticae in tres Ioannis epiſtolas, Lipſiae, 1796. p. 14. ſq.

tim, quod Christus, qui vitam terrestrem pro salute generis humani profunderet, atque grauissima pateretur, et doctrina sua et exemplo sectatoribus suis amorem commendauerit *plane singularem*, eo quem lex Mosaica (v. c. Levit. 19, 18.) commendasset perfectiorem, partim, quod homines, qui sensum vere Christianum animo foueant, *singulari modo* alios diligant, exemplo potissimum Seruatoris praestantissimo excitati. Quo minus vero ad partes horum interpretum accedam, iterum, quae inde enascitur, totius sermonis impedit obscuritas. Equidem certe non intelligo, quare Ioannes verbis: ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ὑμῖν, illi quidem sententiae perspicue exprimendae parum idoneis vsus fuerit, et, quorsum omnino hoc addiderit, praeceptum illud nouum esse ratione Iesu Christi habita? Sufficiebat profecto dixisse: quod quidem praeceptum *vobis* nouum est [6]). Aliam viam ingre-

6) Neque sermo Apostoli facilior magisue perspicuus apparet, si cum B. *Zieglero* (cfr. *Zieglers Bemerkungen über einige schwierige Stellen und Ausdrücke der Briefe Johannis im neuen theologischen Journal fortgesetzt von J. P. Gabler, Jahrgang 1799, siebentem Stück oder vierzehnten Bandes ersten Stück S. 12. sq.*) αληθες pro αληθως accipias (Io. 4, 18.), sub εντολη praeceptum de vita emendanda intelligas, vertasque: *das ist sie wahrhaftig (eine neue Lehre), in Hinsicht auf Christum, denn er wollte nicht, dass es bey der alten Lebensweise bleiben sollte, sondern gebot ein neues Leben voll Heiligkeit, wie es noch nie vor ihm geboten war, aber auch in Hinsicht auf euch, denn die alte Zeit der Lasterhaftigkeit, worin ihr sonst wohl lebtet, ist nun vorüber, und die Zeit der wahren Tugend ist durch das Christenthum erschienen, dem ihr nun gemäss leben müsset.*

diuntur (cfr. B. *Rosenmülleri* scholia ad h. l.) qui ἐν αὐτῳ h. l. idem valere existimant, quod ἐν ἑαυτῳ: quae quidem doctrina et in se vera est, et, quod vos attinet, i. e. a vobis pro vera agnoscitur. Etsi facile liceat eam admittere scripturae vulgaris mutationem, quam haec interpretatio efflagitet, vt pro ἀυτω scribatur ἀυτῷ, in eo tamen iure meritoque offendimus, quod vocibus ἐν et ἐστι, hac versione probata, in vtroque membro non vna eademque tribuatur significatio, atque omnino tota haec dicendi ratio aliquid languidi habeat et otiosi. Singularis est coniectura *V. Langii* (*die Schriften Johannis, übersetzt und erklärt von S. G. Lange, dritter Theil, Weimar*, 1797. *p.* 75.) Quippe qui neutrum ὅ pro masculino accipit (c. 5, 4), atque pronomen αυτω ad Christum vult referri, quo sensu saepenumero apud Ioannem esse s. manere aliquis ἐν θεῳ siue ἐν χριστω dicitur, ita vt, quaenam sit illa ἐντολὴ καινὴ, accuratius his ipsis verbis doceatur: quisquis verus est Christianus, et ipsi Iesu Christo coniunctus est, et vobis coniunctus esse debet. Quemadmodum vero ellipsis vocabuli ἔστι s. ἔστω (quod haec interpretatio post ἐν ὑμῖν suppleri iubet) in hac verborum serie durior apparet, ita doceri non potest, adiectiuum ἀληθὴς absolute positum ex vsu loquendi Ioanneo Christianum innuere verum. Facilius posset eiusmodi interpretatio admitti, si Ioannes ita scripsisset: ὅτι, ὃ ἔστιν ἀληθῶς ἐν αὐτῳ, καὶ ἐν ὑμῖν ἔστιν. Immo, vt meam de loco vexato facilius explanando sententiam profitear, tota φησις: ὃ ἐστιν ἀληθὲς etc. omnino, quod structuram attinet grammaticam, a verbis antecedenS

tibus pendet, praedicata quippe continens, quae illi εντολη καινη antea commemoratae competant. Pronomen vero αυτω ad Chriſtum ſpectare exiſtimo, poſt γραφω υμιν pronomen τουτο tacite ſupplendum, formulamque εστι εν αυτω (χριστω) etc. eodem ſenſu intelligendam, quo ſecundum vulgarem loquendi vſum dici ſoleat ειναι εν τινι. Affirmat Apoſtolus, eandem doctrinam, quam *nouam* (καινην) appellauerit, eſſe veriſſimam, neque ab ea diſcrepare, quam Chriſtiani hucusque probauerint (ita vt hoc ſenſu recte dicatur εντολη παλαια)[7]. *Rurſus*, ait, *vobis tanquam doctrinam nouam idem trado, quod veriſſimum eſt, et in Chriſto, et in animis veſtris*, i. e. *quod et Chriſtus ipſe veriſſimum agnouit, et vos veriſſimum agnouiſtis mentibusque veſtris retinuiſtis.*

---

7) Similem totius loci interpretationem exhibuit *Benſon* in l. *paraphraſtiſche Erklärung und Anmerkungen über einige Bücher des N. T. vierter Band, überſetzt aus dem Engliſchen von Bamberger, Leipzig*, 1761. 4. *p.* 107. quae huc redit: *in anderer Hinſicht kann ich ſagen, daſs ich euch ein neu Gebot ſchreibe, und das darinn anbefohlene in Chriſto und in euch wahrhaftig (in ſeinem Beyſpiel und in eurem Wandel bewieſen worden) iſt.* Praeſtat, opinor, vim propriam phraſeos ἔστι ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ὑμῖν accuratius tenere. Neque multum ab his alienam eſſe video B. *Storrii* ſententiam (*über den Zweck der evangeliſchen Geſchichte und der Briefe Johannis, Tübingen*, 1786. *p.* 387. *ſq.*) qui vertit: *ferner ſchreibe ich euch als eine neue Lehre, oder, ich ſchärfe euch auf das neue ein, was in Rückſicht auf ihn und euch vorlängſt wahr, oder eine alte Lehre iſt.* Ex mea quidem perſuaſione nihil eſt, quod praepoſitioni εν h. l. ſignificationem minus vſitatam vindicari iubeat.

Auf der andern Seite ſchreibe ich euch als eine neue Lehre eben das, was untrüglich und wahr (als Wahrheit) in Chriſto iſt, und in euch ſelbſt, in eueren Herzen, d. h. was Chriſtus (der Untrügliche) für wahr hält, und ihr ſelbſt, ſo lange ihr Chriſten ſeyd, als Wahrheit anerkannt habt. Qua quidem Apoſtoli verborum interpretatione id potiſſimum lucramur, vt vocibus ſingulis eo ſenſu, quo vulgo adhiberi ſoleant, intelligendis ea prodeat ſententia, quae nexui orationis probe conueniat neque vel artificioſior appareat, vel aliquid languidi habeat et otioſi. Similiter audimus Ioannem infra v. 27. αληθειαν (veritatem ſummam) adfirmantem inaugurationis (inſtitutionis ſanctae), quam Chriſtiani illi dudum acceperint, et v. 24. de doctrina Chriſtiana illis ab initio tradita haec enuntiantem: ἐν ὑμῖν μενέτω. Ipſe Apoſtolus docet, qua de cauſa doctrinam illam antiquam, cujus veritatem dudum agnouerint, εντολην καινην appellauerit, his addendis: ὅτι ἡ σκοτία παράγεται etc. Voculam quippe ὅτι h. l. pariter ac v. 11. ὅτι ἡ σκοτία ἐτύφλωσε etc. aliisque locis innumeris cauſae declarandae inſeruire exiſtimo, neque demonſtratione multa indiget, imagine tenebrarum ignorantiam depingi et vitioſitatem, cui homines, quibus haec epiſtola ſcribitur, olim fuerint obnoxii, priusquam Chriſtiani fierent (cfr. ſupra c. 1. v. 5. 6. ad Coloſſ. 1, 13.) lucem vero ſymbolum eſſe intelligentiae verae, et ſentiendi agendique rationis emendatae, illi veritatis cognitioni accommodatae, cuius participes fiant, quotquot Chriſtum toto animo profiteantur. Praedicatur ea φως αληθινον, lux veriſſima, i. e.

sensu perfectissimo (haud vulgari) sic dicenda. Cfr. commentatio mea exegetica de loco euang. Io. c. 1. v. 9—14. opusculis meis exegeticis, criticis, dogmaticis, tomo quidem *primo* inserta, p. 7. seqq. Quaecunque hac epistola de vera communione cum Deo et Christo, de vitiositate fugienda, de amore aliis praestando traduntur, etsi lectoribus Christianis innotuerant, iisque persuasa fuerant, doctrinam tamen *nouam* continebant, quatenus olim, vel Iudaismo vel Paganismo addicti, eiusmodi luce prorsus caruerant. Iam vero ad ipsam ἐντολὴν καινὴν progreditur, ita vt praesertim officium iniungat alios amandi, eamque cohortationem iis adnectat, quae v. 8. dixerat: ὅτι ἡ σκοτία etc. v. 9. ὁ λέγων ἐν τῷ φωτὶ εἶναι καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ μισῶν, ἐν τῇ σκοτίᾳ ἐστὶν ἕως ἄρτι. Ad cognitionem illam meliorem, et sentiendi agendique rationem emendatam, cuius auctor Christus exstitit, id maxime pertinet, vt alios diligamus. Docet igitur Ioannes, eum, qui alios odio habeat (ἀδελφοὶ quippe h. l. vt saepissime alios omnino homines innuit, quatenus filii sunt eiusdem Dei, ex vsu hebraici רֵעַ Genes. 26, 3. Matth. 5, 22. al.) nondum re vera illius doctrinae *nouae* esse participem, nondum in lucem (in conditionem illam nouam atque emendatam, a Christo oriundam) re vera transiisse, etsi Christianum sese appellauerit. Contra, qui amorem vere Christianum pectore nutrit, luce gaudet verissima ipsum perpetuo collustrante. V. 10 ὁ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῷ φωτὶ μένει, καὶ σκάνδαλον ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν. Neminem fugit, vocem σκανδαλον (hebr. מוֹקֵשׁ cfr. Iudices 2, 3.), quae proprie offendiculum s. ob-

ſtaculum ſignificet, id, in quo facile aliquis pedem inpingere poſſit, ita vt vacillet, labatur, humi cadat, ſaepenumero in N. T. ad quamuis transferri occaſionem errandi et peccatum committendi v. c. Matth. 18, 7. ad Romm. 14, 13. Dubium tamen et ambiguum videri poſſet, vtrum Apoſtolus h. l. de occaſione errandi et peccandi cogitauerit, quam homo *aliis* praebere poſſit (eiusmodi homo, qui alios amore vere Chriſtiano complectitur, non ſolet aliis exemplo eſſe malo, eosque ad peccandum ſollicitare), an docere potius voluerit, in animo hominis, qui ſenſu Chriſtiano ducatur, cupiditates malas (qualis eſt inuidia, auaritia, ſuperbia, iracundia) frangente, nihil eſſe, quod eum ad maleſacta ſeducere poſſit, niſi verba ſequentia, hanc alteram interpretationem praeferendam eſſe, luculentiſſime oſtenderent. Cfr. inſuper locus ſimillimus euang. Io. 11, 9. 10. Explicat Apoſtolus, quo ſenſu dixerit καὶ σκάνδαλον ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν, contrario addendo v. 11. ὁ δὲ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἐν τῇ σκοτίᾳ ἐστι, καὶ ἐν τῇ σκοτίᾳ περιπατεῖ καὶ οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει, ὅτι ἡ σκοτία ἐτύφλωσε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. Qui alios odio habet, in tenebris verſatur inceditque tenebris inuolutus (lucem, qua gaudeat, cognitionis nouae animique emendati fruſtra iactitat), neque cernit, quo ſe vertat, quum tenebrae oculos eius occaecauerint. Ad peccata varii generis committenda (ex odio oriunda) ſemper pronus ac proclinis eſſe ſolet, homini in tenebris verſanti, modo hic, modo illic pedem inpingenti, atque a tramite recto aberranti ſimilis.

Comparauerat Ioannes v. 9. 10. 11. hominem, ab illo amoris ſenſu praeſtantiſſimo, quem doctrina (ἐντολὴ v. 7. 8.) Chriſtianis illis per Ioannem nuntiata poſtulat, plane alienum, etiamnum ita ſentientem et agentem, ac ſi Chriſtus (auctor lucis veriſſimae v. 8.) omnino non prodierit, homini, qui indolem illius doctrinae vere perſpexerit, animumque emendauerit, atque ita oſtenderat, omnino eſſe, quod doctrina illa, dudum quidem Chriſtianis tradita, ideoque παλαιὰ, noua quoque appelletur, ſiquidem in animis omnium, qui eam tota mente probauerint, caligine priſtina diſſipata, lucem clariſſimam emicare iuſſerit, habitumque effecerit nouum. Docet porro v. 12. 13. 14. commemorandis aliis ad doctrinam Chriſtianis traditam ſpectantibus, quae nunc tradantur, non differre a placitis vere Chriſtianis, quae dudum propoſita et inculcata fuerint, atque ἐντολὴν, quam ſupra (recte, vt vidimus) καινὴν appellauerit, omnino hoc ſenſu eſſe παλαιὰν. Prohibere, opinor, his quoque addendis ſtuduit, ne Chriſtiani, quibus haec epiſtola ſcribitur, ſpecie nouitatis eiusmodi placitorum doctrinae apoſtolicae repugnantium, quae vani doctores in coetibus Aſiaticis ſpargerent, ad errores probandos abripi ſeſe paterentur. V. 12. γράφω ὑμῖν, τεκνία, ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Alloquitur Ioannes h. l. Chriſtianos ſuos omnes, compellatione blanda ac beneuola vſus τεκνία: cariſſimi, dilecti, morem ſequutus et prophetarum V. T. et ipſius Ieſu Chriſti ceterorumque eius legatorum, qui nomen filiorum ſ. liberorum (τεκνιων, παιδιων) ſaepenumero ad diſci-

pulos suos transtulerunt cfr. Io. ev. 13, 33. ad Galatas 4, 19. Quanquam enim Apostolus v. 13. sq. ad genera Christianorum diuersa sermonem conuertit, nostro tamen loco omnino omnes, ad quos epistola data fuerit, voce τεκνιων comprehendi, hoc duplici argumento sufficiat demonstrasse, quod Ioannes v. 13. et νεανισκους et παιδια seperatim commemorauerit, neque, si quis vocem τεκνια v. 12. de liberis proprie ita dictis interpretari voluerit, doceri recte possit, quare Ioannes iis potissimum Christianis, qui in *aetate tenerrima* versarentur, peccatorum veniam per Christum paratam nuntiauerit. Cfr. c. 2. v. 1. 2. vbi in promtu est, *Christianis omnibus* (quos Ioannes l. l. pariter atque nostro l. τεκνια compellauerit), nulla aetatis diuersae mentione facta, eandem tradi doctrinam de remissione peccatorum. Condonata esse dicuntur Christianis peccata, quae olim commisissent (cfr. c. 1. v. 9. et c. 2. v. 1. 2. ibique interpretes), διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ i. e. vel: beneficio, merito Christi, per Christum (ita vt ονομα χριστου h. l. ex more hebraici שֵׁם personam ipsam innuat cfr. Actt. 3, 16. Apocal. 11, 13.) vel: propterea quod nomen eius inuocetis, religionem Christi profiteamini, fidem ei habeatis. De sensu autem voculae ὅτι interpretes dissentiunt. Alii quippe *argumentum* eorum, quae Ioannes scribat et scripserit, v. 12. 13. 14. iis verbis, quibus ὅτι praemittitur, indicari existimant: scribo vobis, condonationem peccatorum vobis contigisse etc. Alii *causam* proferri putant, quare scribat atque scripserit. In his fuerunt, qui sermonem Ioannis a v. 12. vsque ad v. 15. con-

tinuari iudicarent, et commate demum 15. id ipsum enuntiari, quod Ioannes Christianis tradat et praecipiat: scribo vobis, carissimi, nam peccatorum venia vobis per Christum contigit, scribo vobis, patres, nam cognouistis eum, qui ab initio fuit, scribo vobis, iuuenes, nam vicistis daemonem malum, scribo vobis, filii, nam patrem cognouistis, scripsi vobis, patres, nam cognouistis etc. (vt verbo dicam, scribo et scripsi vobis, tanquam Christianis) nolite mundum diligere (v. 15.) etc. Quo minus vero eundem tramitem ingrediar, partim indoles elocutionis Ioanneae impedit, ab eiusmodi periodis longioribus nectendis aliena, partim, quod repetitio membrorum, quae v. 13 et 14. deprehenditur: ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς et: νενικήκατε τὸν πονηρόν, si illa ratio probata fuerit, nimis otiosa appareat. Malim de causa singulari cogitare, quae Apostolum mouerit, vt v. 12. 13. tempore praesenti (γραφω), v. 14. tempore praeterito (ἐγραψα) vteretur, ac fere eadem v. 14. iteraret, quae v. 12. 13. enuntiasset, eamque causam ex iis repetere, quae supra v. 7. seqq. legimus. Adfirmauerat, doctrinam (ἐντολην), quam tradat, etsi, ratione habita status pristini eorum, qui nunc veri sint Christiani, noua appellari possit, tamen antiquam esse, nec differre ab iis, quae Christianis initio fuerint exposita. Hanc sententiam vberius amplificat et confirmat, ita vt singula quaedam commemoret, quae hoc tempore tradat Christianis suis, eosque memores esse iubeat, eadem prorsus consentire doctrinae in euangelio[8]) expositae. Itaque voculam

8) Etsi adfirmare nolim, quod plures huius epistolae inter-

ὅτι v. 12. 13. 14. iis ipsis, quae Ioannes et hoc tempore scribat, et olim scripserit, indicandis inseruire existimo. Pergit V. 13. γράφω ὑμῖν, πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς. γράφω ὑμῖν, νεανίσκοι, ὅτι νενικήκατε τὸν πονηρόν· γράφω ὑμῖν, παιδία, ὅτι ἐγνώκατε τὸν πατέρα. Alloquitur primum πατέρες, Christianos *aetate prouectiores* eorum coetuum, quibus haec epistola scribitur (cfr. Actt. 7, 2. 22, 1.). Verbis τὸν απ' ἀρχῆς *Iesum Christum* describi interpretes, quos contudi, omnes largiuntur. Quaeritur vero, vtrum sic dicatur, quod ab initio inde *rerum Christianarum* (institutionis Christianae) nuntiatus et praedicatus fuerit, an, quod ab initio *rerum omnium* (ante creationem huius rerum vniuersitatis) adfuerit, tanquam λογος, apud Deum in coelis versatus, Deo patri coniunctissimus (Io. ev. c. 1. v. 1. 2.)? Praepla-

---

pretes eruditi coniecerunt (cfr. B. *Storr über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis p.* 383. seqq. *Hug Einleitung in die Schriften des N. T. Vol. II. p.* 174. *Augusti* in libro: *die katholischen Briefe neu übersetzt und erklärt Vol. II. p.* 182. *seqq.*) epistolam Ioannis primam veluti partem alteram euangelii, eiusue appendicem fuisse, vna cum euangelio ablegatam, certum tamen dixerim, Apostolum in hac epistola saepius ad ea respexisse, quae in euangelio exposuisset. Sufficiat initium epistolae primae initio euangelii aliisque eiusdem locis singulis comparasse. Quo minus epistolam vna cum euangelio lectoribus missam fuisse existimem, id ipsum impedit, quod Ioannes ex mea quidem persuasione v. 14, commemorandis iis, quae olim scripsisset, satis aperte aliquam annorum seriem ab illo inde tempore, quod vocabulo εγραψα innuitur, elapsam indicauerit.

cet interpretatio posterior, quippe quae partim facilitate maiori commendatur, siquidem, hac ratione probata, ad vocem ἀρχῆς nihil nisi participium ὄντα subintelligi oportet, partim loco simillimo 1 Io. 1, 1. Ibi enim phrasis ἀπ' ἀρχῆς (i. q. ἐν ἀρχῇ Matth. 19, 4. 8.) tam absolute ponitur, vt ex mea quidem persuasione nequeat facilius explicari, quam de initio rerum omnium, inprimis, quum verba commatis secundi τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον etc. ad praeexistentiam Iesu Christi, λογου apud Deum patrem in coelis versati, satis aperte respiciant. (Neque vsum obstare generis neutrius ὃ ἦν facile quisque intelliget, si modo gnarus fuerit consuetudinis Ioanneae, neutra pro masculinis vsurpandi, cfr. ev. 3, 6. 8. 6, 37. 17, 2. 1 Io. 5, 4. ac probe perpenderit, pronomina generis neutrius, quae sequantur, sensu proprio intelligenda, ὃ ακηκοαμεν etc. Ioannem mouere potuisse, vt eiusdem geueris articulum, sublimitate quadam sermonis vsus, in fronte epistolae poneret). Ceterum nolim cum Braunio (in selectis sacris p. 161.) Schoettgenio (in horis hebraicis ad h. l.) Bensono (in libro supra in notis laudato p. 111.) sub patribus eos potissimum Christianos ex Iudaeis intelligere, qui Iesum Christum Hierosolymis atque in Iudaea versantem ipsi viderint. Quamuis enim largiar, fieri vtique potuisse, vt plures eorum Christianorum, qui olim, Iudaismo addicti, in Palaestina viuerent, quum postea in Asiam minorem sese conuertissent, quo tempore Apostolus has litteras scriberet, in coetibus Asiaticis versarentur; recte tamen alii viderunt interpretes, Ethnico — Christianos pa-

riter atque Iudaeo — Christianos in iis coetibus fuisse ?), quos Ioannes hac epistola adierit. Malim igitur h. l. compellationem *patrum* vniuerse ad Christianos referre aetate prouectiores, siue Christum oculis conspexerint, seu minus, siue ex Iudaeis fuerint, siue ex paganis [10]). Vobis,

---

9) cfr. *Fritzsche* in comment. supra in notis laudata: *Bemerkungen über die Briefe Johannis etc. p.* 130. *seqq.* et *Wunder* dissertatio exegetica, vtrum prima Ioannis epistola coetui e Iudaeis et Iudaeo — Christianis mixto scripta sit, Vitebergae, 1799. 4.

10) Explicationem tropicam vocabulorum πατερες, νεανισκοι, παιδια B. *Ziegler* amplexus est, in comment. supra in notis laudata p. 13. seqq. quippe qui sub patribus eos Christianos, qui cognitione doctrinae diuinae plurimum profecerint, et persuasione gaudeant firmissima, sub νεανισκοις Christianos, qui tentationes malas fortiter ac feliciter vincere soleant, sub παιδιοις denique tirones, etiamnum infirmos et imbecilles intelligit: *ich richte meine Schrift an euch, ihr Veteranen an Religionskenntniss und Ueberzeugung, denn ihr kennt den* Logos, *der schon vor der Weltschöpfung da war, ihr habt eine feste Ueberzeugung von der Hoheit des Messias; an euch, ihr kraftvollen Christen, die ihr den Bösen schon besiegt habt; an euch, die ihr noch eine schwache Religionsüberzeugung habt, ihr kennet Gott als Vater, erinnert euch, dass ihr mit Gott als Vater in Verbindung stehet.* Sed neque vsus loquendi permittit, vt vocibus πατερες, νεανισκοι, παιδια eiusmodi significationem moralem tribuamus (praesertim, vbi nihil amplius addatur, quod interpretem de tropo cogitare iubeat) nec satis perspicue intelligo, hac ratione admissa, quo discrimine Ioannes νεανισκους a patribus distingui voluerit, et, qua de causa patribus potissimum scripserit, Iesum λογον iis innotuisse, tironibus vero, eos cognouisse patrem ?

ait, scribo, vos cognouisse eum, qui ante creationem huius rerum vniuersitatis fuerit, vos Iesum tanquam λογον, filium Dei, coelitus oriundum cognouisse. Vobis autem, iuuenes, vos Satanam vicisse. νεανισκοι non tantum ii dicuntur, quos proprie ex vsu nostrae linguae iuuenes (*Jünglinge*) appellamus, sed etiam, qui in aetatem virilem transierunt, si modo etiamnum flore et robore aetatis gaudeant, qui opponuntur pueris et senibus. Matth. 19, 20. 22. Actt 2, 17. Videtur autem Ioannes insuper ad eam vocabuli significationem respexisse, qua *milites* innuit (quippe qui solent ex iuuenibus virisque eligi, robore suo nondum destitutis) cfr. Polyb. histor. 4, 16. Marci ev. 14, 51. Loquitur enim de constantia animi et robore, ex persuasione vera Christiana oriundo, quo illi, doctrina Christi probata, missis erroribus pristinis ac vitiis, hucusque omnes Satanae (του πονηρου cfr. Matth. 13, 19. 38. Io. 17, 15.) tentationes, ad religionem virtutemque veram deserendam sollicitantes egregie superauerint, militibus similes, locum fortiter tuentibus. Cfr. ad Ephesios 6, 16. Addit denique: vos, παιδια, moneo, vos patrem (Deum) cognouisse. Recte, opinor, vidit *Zieglerus* in obseruationibus supra laudatis (p. 17. seq.) non posse sub παιδιοις liberos, s. pueros proprie sic dictos intelligi, quum Apostoli in epistolis suis nonnisi ad homines adultos sermonem conuerterint, neque liberos Christianorum, secundum ritus ecclesiae antiquissimae lauacro sacro nondum initiatos, alloqui potuerint. Nolim vero eidem interpreti consentire, de significatione vocabuli παιδια tropica

(i. e. de notione Christianorum, qui cognitione parum perfecta et persuasione parum firma gaudeant) cogitanti. Neque enim alia exstant effata, quae doceant, vocibus πατέρες et νεανίσκοι recte eiusmodi notiones vindicari, quae ad gradus diuersos cognitionis et persuasionis Christianae spectent, neque locus ab illo laudatus (v. 18. huius capitis) necessitatem vocabuli παιδίον hoc sensu morali interpretandi demonstrare potest. Nihil enim est, quod nos prohibeat, quo minus Ioannem v. 18. discipulos suos et lectores, iuniores pariter ac seniores, compellatione blanda ac benuola παιδία (carissimi, dilecti, cfr. Io. evang. 21, 5.) complexum esse censeamus. Ceterum hanc vocem non vbique de liberis tantum puerisue dici, sed etiam ex vsu hebraico-graeco latius patere, atque de *adolescentibus* intelligi posse, probe docuit *Bolten* in libro: *Bericht des Matthäus von Jesu dem Messias* p. 275 sq. (ad Matth. 18, 2.). His ita constitutis, de sensu, quo Ioannes h. l. sermonem ad παιδία conuerterit, sic statuo. Apostolus, quum voces ad aliquam aetatis diuersitatem respicientes πατέρες et νεανίσκοι adhibuisset, tertio loco, ipsa vocabulorum cognatione et similitudine ductus, addidit παιδία, ita quidem, vt significatui vocis angustiori minime inhaereret, sed omnino Christianos suos, *iuniores potissimum*, intelligeret, eosque, ratione quadam iuuentutis habita, blande compellaret. Substantiuum παιδία h. l. parum differre a voce νεανίσκοι (nisi, quod clarius ostendat, Ioannem non tantum viros Christianos, sed etiam adolescentes alloqui, baptismo initiatos, atque de religione Chri-

ſiana edoctos) verſus docet decimus quartus, vbi Apoſtolus, quanquam repetit, quae v. 13. legimus, eademque ad tempus praeteritum transfert, nullam tamen mentionem των παιδιων facit, ſolos πατερες et νεανισκους, ſenes atque iuniores, ſiue viri, ſiue adoleſcentes fuerint, commemorans. (Sic enim cauſam vocabuli παιδιων v. 14. plane omiſſi facilius explicare mihi videor, quam ex coniectura nonnullis probata, eo tempore, quod praeteritum εγραψα innuat, in coetibus illis Chriſtianis omnino non fuiſſe, qui poſſent παιδια appellari). Nolim omnino eam, quam voces πατερες, νεανισκοι, παιδια innuant, aetatis diuerſitatem ita vrgere, vt primum ex iis placitis, quae v. 13. proferantur, *ſolis* ſenibus, alterum *ſolis* viris, tertium *ſolis* adoleſcentibus ſcribi exiſtimetur. Audimus quippe Apoſtolum c. 4. v. 4. Chriſtianis omnibus fere eadem dicentem, quae h. l. νεανιασκοις ſcribuntur, atque res ipſa docet, Chriſtianos omnes, ſeniores pariter ac iuniores, plurimum intereſſe, vt ſibi veritatem horum placitorum habeant perſuaſiſſimam. Vna eſt doctrina, quam Ioannes omnibus tradit, doctrina, inquam, Chriſtiana, quae Ieſum praedicat λογου, filium Dei, victoriam de Satana per Chriſtum reportandam, et veniam peccatorum a Chriſto paratam nuntiat, Deum patrem eſſe docet totius generis humani. Quemadmodum vero in hoc ſermone Ioannis partes quaedam diuerſae religionis Chriſtianae ſeparatim proferuntur, ita etiam Chriſtianos illorum coetuum, quos Apoſtolus alloquitur, figura notiſſima diſtributionis (με-

ρισμου) vſus [11]), vocibus appellat diuerſis, ad ipſam aetatis diuerſitatem reſpicientibus, vniuerſe adfirmaturus, *omnibus* tradi hanc doctrinam (εντολην), cuius vetuſtatem ſupra v. 7. commemorauerit, iterumque v. 14. declaret. Neque negari poteſt, verba, quibus Ioannes placita quaedam religionis Chriſtianae v. 13. enuntiauerit, vocibus diuerſis, quibus Chriſtianos ſuos appellet, egregie reſpondere. Aetate prouectis hoc potiſſimum ſcribit: Chriſtus, de quo edocti eſtis, fuit ante omnem aetatem (απ' αρχης). Νεανισκοις (in robore et flore aetatis verſantibus) ſcribit: per Chriſtum Satanam viciſtis et porro vincere poteritis. Nam huius aetatis homines tentationibus magis expoſiti eſſe ſolent, quam, qui aetate ſunt prouectiores, ita vt, viribus conceſſis vſi, fortiter pugnare debeant. Παιδιοις denique (i. e. vt ſupra vidimus, omnino iunioribus, adoleſcentibus quoque) in mentem reuocat, eos per Chriſtum cognouiſſe Deum *patrem* totius generis humani, ſiquidem filius patrem citius, quam alios omnes cognoſcit, patri potiſſimum confidit, ad voluntatem et exemplum patris animum perpetuo conuertit. Ceterum perſuaſiſſimum mihi habeo, lectionem vulgarem γραφω υμιν, παιδια recte ſe habere. Ex-

11) Deprehendimus effata ſimilia in ſcriptis Apoſtolicis obuia, quibus vna eademque res vocibus praedicatur, quae omnino diuerſitatem quandam innuunt, ita tamen, vt hoc diſcrimen ſubtiliter vrgeri nequeat. Cfr. epiſt. I. ad Corinthh. c. 12. v. 4. 5. 6. (χαρισματα, διακονιαι, ενεργηματα) coll. v. 9. 10.

hibetur quidem in plerisque codd. graecis, nonnullis versionibus antiquis, et apud patres quosdam lectio ἔγραψα, quam B. Morus in praelectionibus supra in nota laudatis p. 17. vulgari ideo praestare iudicat, quod parallelismo membrorum commendetur. Quemadmodum enim Ioannes antea (v. 12. 13.) ter dixerat γράφω ὑμῖν, ita etiam ter tempore praeterito scriptum fuisse existimat ἔγραψα ὑμῖν, παιδία —— πατέρες —— νεανίσκοι, versumque 14. a verbis ἔγραψα ὑμῖν, παιδία etc. incipere. Verum enimuero ille membrorum parallelismus, quantum equidem video, omnino non ad v. 12. pertinet, quum vocabulum τεκνια v. 12. (vt supra ostendimus) minime liberos proprie sic dictos innuat, sed Christianos illos omnes, nulla aetatis diuersae ratione habita, compellatione blanda complectatur. Neque in eo esse haerendum, quod Ioannes in iis enuntiationibus, quae ad tempus praeteritum spectent (εγραψα), nonnisi πατερες et νεανισκους commemorauerit, supra docuimus. Lectio εγραψα v. 13. ex verbis v. 14. satis mature in codices quosdam irrepsit, siue scribendi vitio exstiterit, siue correctione arbitraria librariorum, qui ambitum et rationem parallelismi h. l. obtinentis minus recte intellexerant. Iam vero Apostolus v. 14. ad tempus praeteritum transit: ἐγραψα ὑμῖν, πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς· ἔγραψα ὑμῖν, νεανίσκοι, ὅτι ἰσχυροί ἐστε, καὶ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐν ὑμῖν μένει, καὶ νενικήκατε τὸν πονηρόν. Videmus Ioannem iterantem, quae v. 13. dixerat, ita vt haec ad tempora transferantur praeterita. Cuius repetitionis causam plerique interpretes minus recte, opinor, in eo quaesiuerunt, quod Apo-

ſtolus grauitatem illorum placitorum declarare, eademque mentibus lectorum ſuorum alte infigere voluerit: ſcripſi modo, patres (ſ. iterum vos moneo), vos cognouiſſe eum, qui ab initio fuerit etc. Huic enim conſilio eiusmodi repetitio, ſimpliciter adfirmans, hoc illudue modo ſcriptum eſſe, profecto parum apta fuiſſet, immo languidi aliquid habuiſſet atque otioſi. Neque cum nonnullis coniici poteſt (cfr. Michaelis *Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes.* Volum. II. p. 1563.) illud εγραψα ad epiſtolae Ioannis II. v. 5. reſpicere. Etenim, vt taceam, argumenta nulla ſuppetere idonea, quae doceant, epiſtolam, quae vulgo prima dicatur, rectius haberi ſecundam; ne tanta quidem apparet vtriusque loci (epiſt. 1. c. 2. v. 14. et epiſtolae 2 v. 5.) conuenientia, vt Ioannes ad eiusmodi effatum voce εγραψα reſpexiſſe recte exiſtimari poſſit. In promtu eſt (quod probe intellexerunt *Whiſtonus* in libro: a commentary on the three epiſtles of St. Iohn. London 1719. p. 9. 34. 35. et *Langius* in commentario, quem ſupra laudaui, vernacule ſcripto p. 76 ſq.) Apoſtolum, tempore praeterito εγραψα vſum, ad ea reſpexiſſe, quae olim *in euangelio ſuo* docuerit. Etenim, Ieſum tanquam λογον, initio fuiſſe apud Deum, tum vero corpore indutum humano (εν σαρκι) inter homines (in terra) apparuiſſe, eiusque dignitatem hominibus argumentis luculentiſſimis demonſtratam eſſe, Apoſtolus c. 1. euangel. v. 1—18. docuerat, et per totum euangelium, ſermonibus, factis, fatisque Ieſu Chriſti enarrandis tam perſpicue declarauerat, vt omnino ſufficeret, Chriſtianis illam doctrinam ver-

bis paucis: ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς, in mentem reuocasse. Pariter neminem fugit, Iesum Christum in iis potissimum sermonibus, qui in euangelio Ioanneo obueniant, saepenumero verbis quidem diuersis adfirmasse, eos qui doctrinae suae obsequantur, veros esse Dei filios, coniunctissimos manere ipsi (Christo) atque patri, neque habere, quod κοσμον (homines profanos) atque principem huius κοσμου, Satanam (cuius regni destruendi causa ipse in terram venerit), reformident. Cfr. v. c. Io. ev. c. 8, 44—47. c. 12, 31. 32. 46. c. 14, 21 seqq. c. 16, 33. c. 17. Haec breuiter complexus νεανισκοις dicit: scripsi vobis, vos esse validos ἰσχυρους (quod quidem praedicatum quam egregie νεανισκοις conueniat, sponte patet), vos per doctrinam Christianam spiritumque diuinum idoneos esse redditos ad tentationes malas fortiter superandas, doctrinam diuinam manere in animis vestris (fidem ei constantissime habentibus), atque vos de Satana victoriam (per Christum) reportasse. Verissime igitur, quam doctrinam supra (v. 8.) quodammodo nouam iure meritoque appellaui, eiusdem licet antiquitatem adfirmare, siquidem vobis ab initio innotuit, et, quaecunque hac epistola scribuntur, plane consentiunt doctrinae in euangelio expositae. Quo quidem sententiarum nexu obseruando facillime intelligere mihi videor, quid fuerit, quod Ioannes v. 14. iteraret, quae iisdem fere verbis v. 13. enuntiasset.

Subiungam totius loci explicati versionem latinam (v. 7—15.). *Carissimi, minime vobis pla-*

citum ſcribo nouum, ſed placitum antiquum, quod ab initio inde tenuiſtis. Placitum antiquum dico doctrinam, quam ab initio inde accepiſtis. Rurſus vobis tanquam placitum nouum idem trado, quod veriſſimum eſt pariter in illo (Chriſto) atque in vobis (animis veſtris); ſiquidem, tenebris euaneſcentibus, iam lucet lux veriſſima. Quicunque ſe in luce verſari dicit, ſed fratrem (alios) odio habet, is etiamnum in tenebris verſatur. Qui fratrem amat, in luce verſari pergit, neque ipſi (animo eius) aliquid inhaeret, in quo offendat. Sed, qui fratrem odio habet, in tenebris verſatur, tenebris tectus incedit, neque cernit, quo ſe vertat, quum tenebrae oculos eius occaecauerint. Scribo vobis, diſcipuli mei, contigiſſe vobis propter Ieſum peccatorum veniam. Scribo vobis, aetate prouectiores, vos cognouiſſe eum, qui ab initio (rerum omnium) fuerit. Scribo vobis, iuuenes, vos daemonem viciſſe malum. Scribo vobis, filii, vos patrem cognouiſſe. Scripſi (olim) vobis, aetate prouectiores, vos cognouiſſe eum, qui ab initio (rerum omnium) fuerit. Scripſi (olim) vobis, iuuenes, vos eſſe validos, doctrinam diuinam in animis veſtris manere, atque vos daemonem malum viciſſe.

I.

Index

effatorum ſcripturae ſacrae in his opuſculis tractatorum.

Geneſis Cap. I. v. 26. 27.	Tom. II. p. 55—71. et p. 93. ſeqq.
— — Cap. II. v. 7.	Tom. II. p. 102—109.
— — Cap. II. v. 17.	Tom. II. p. 90. nota.
— — Cap. III. loca plura	Tom. II. p. 80—84. et p. 88. ſeqq.
— — Cap. V. v. 1.	Tom. II. p. 72. 75.
— — Cap. VI. v. 1. 2. 3.	Tom. II. p. 109—128.
— — Cap. IX. v. 6.	Tom. II. p. 73. ſeqq.
— — Cap. XX. v. 13.	Tom. II. p. 61. nota.
— — Cap. XXIX. v. 27.	Tom. II. p. 57. nota.
II. Samuel. Cap. VII. v. 23.	Tom. II. p. 60. nota.
Matth. euang. C. III. v. 7—12.	Tom. II. p. 173—202.
— — — C. VIII. v. 5.	Tom. I. p. 302. ſq.

Matth. euang.	C. IX. v. 6. ſqq.	Tom. I. p. 226—246.
— — —	C. XI. v. 2—6.	Tom. I. p. 125—144.
— — —	C. XI. v. 20—24.	Tom. I. p. 144—146.
— — —	C. XII. v. 11. ſqq.	Tom. I. p. 287. ſeqq.
— — —	C. XII. v. 28.	Tom. I p. 147—151.
— — —	C. XII. v. 31.	Tom. II. p. 46. ſqq.
— — —	C. XII. v. 38. ff.	Tom. I. p. 292—299.
— — —	C. XIV. v. 14. ff.	C. XV. v. 33. ff. Tom. I. p. 250—254.
— — —	C. XVI. v. 1—4.	Tom. I. p. 300. ſq.
— — —	C. XVI. v. 8—11.	Tom. I. p. 246—255.
— — —	C. XXI. v. 23. ff.	Tom. I. p. 288.
— — —	C. XXIV. v. 24.	Tom. I. p. 309.
— — —	C. XXIV. v. 27.	Tom. II. p. 260. ſeqq.
— — —	C. XXIV. v. 29.	Tom. II. p. 229. et p. 238. ſeqq.
— — —	C. XXIV. v. 30.	Tom. II. p. 206. ſeqq. et p. 260. ſqq.
— — —	C. XXIV. v. 31.	Tom. II. p. 230.
— — —	C. XXIV. v. 34.	Tom. II. p. 240. ff.
— — —	C. XXIV. v. 35.	Tom. II. p. 231. ff.
— — —	C. XXIV. v. 36.	Tom. II. p. 232. ff.
— — —	C. XXV. v. 31. ff.	Tom. II. p. 234. ff.
Marci euang.	C. IX. v. 49.	Tom. II. p. 3—48.
— — —	C. IX. v. 50.	Tom. II. p. 35. ff.
— — —	C. XIII. v. 22.	Tom. I. p. 309.
— — —	C. XIII. v. 24.	Tom. II. p. 243.
— — —	C. XVI. v. 9—20.	Tom. II. p. 131—170.
Lucae euang.	C. III. v. 8.	Tom. II. p. 182. nota.
— — —	C. III. v. 15.	Tom. II. p. 187.
— — —	C. X. v. 20.	Tom. I. p. 290. ff.

Lucae euang. C. XI. v. 26. Tom. I. p. 309. ff.
— — — C. XI. v. 29. 30. Tom. II. p. 215. — —
— — — C. XVI. v. 31. Tom. I. p. 291. ff. —
— — — C. XVII. v. 17. 18. Tom. I. p. 255. fq.
— — — C. XVII. v. 20. 21. Tom. II. p. 260. nota.
— — — C. XXI. v. 7. Tom. II. p. 225. nota.
— — — C. XXI. v. 24. Tom. II. p. 244. nota.
— — — C. XXIV. v. 34. fq. Tom. II. p. 147. fq.
Ioannis euang. C. I. v. 9 — 14. Tom. I. p. 3 — 54.
— — — C. I. v. 25. Tom. II. p. 186. feqq.
— — — C. II. v. 18. 19. Tom. I. p. 282 — 286.
— — — C. III. v. 31. Tom. I. p. 80. nota.
— — — C. IV. v. 48. Tom. I. p. 289. fq.
— — — C. V. v. 19. feqq. Tom. I. p. 73. nota.
— — — C. V. v. 19. 20 — 36. Tom. I. p. 184 — 217.
— — — C. V. v. 31. Tom. I. p. 82. nota.
— — — C. V. v. 44. Tom. I. p. 88. fq.
— — — C. VI. v. 26. ff. v. 36. ff. Tom. I. p. 151 — 163.
— — — C. VI. v. 28. Tom. I. p. 74. nota.
— — — C. VI. v. 35. Tom. I. p. 78. fqq.
— — — C. VII. v. 10. ff. Tom. I. p. 286. fqq.
— — — C. VII. v. 16. fq. Tom. I. p. 58 — 94.
— — — C. VIII. v. 14. 16. Tom. I. p. 83. nota et p. 212. nota.
— — — C. VIII. v. 26. Tom. I. p. 94 — 102.
— — — C. VIII. v. 28. Tom. I. p. 167. nota.
— — — C. VIII. v. 51. Tom. I. p. 322. nota.
— — — C. IX. v. 35. ff. Tom. I. p. 257 — 259.
— — — C. X. v. 25. 37 — 38. Tom. I. p. 217 — 222.
— — — C. XI. v. 4. 15. 23. ff. 40. ff. Tom. I. p. 259 — 280.

Ioannis euang. C. XIII. v. 34. Tom. I. p. 102—110.
— — — C. XIV. v. 10. Tom. I. p. 62. nota.
— — — C. XIV. v. 10. 11. 12. Tom. I. p. 75. ſq. p. 31. nota et p. 165—178.
— — — C. XV. v. 22. ſſ. Tom. I. p. 77. et p. 81. nota.
— — — C. XV. v. 24. Tom. I. p. 179—184.
— — — C. XVII. v. 20. 21. Tom. I. p. 172. ſq. nota.
Actorum Apoſtoll. C. XVII. v. 26. Tom. I. p. 35.
Epiſtola ad Romanos C. I. v. 32. Tom. I. p. 322. nota.
— — — — C. V. v. 12. 13. 14. Tom. I. p. 315—358.
— — — — C. V. v. 18. 19. Tom. I. p. 334. ſq.
— — — — C. VI. v. 4. Tom. I. p. 203.
— — — — C. VIII. v. 6. Tom. I. p. 322. ſq. nota.
Epiſtola ad Corinthios prior C. XV. v. 21. Tom. I. p. 326.
Epiſtola ad Hebraeos C. VII. v. 9. 10. Tom. I. p. 333.
Epiſtola Petri poſterior C. II. v. 10. Tom. I. p. 40. nota.
Eiſtola Iudae v. 7. Tom. I. p. 40. nota.
Epiſtola Ioannis I. C. I. v. 1. Tom. II. p. 282.
— — — — C. II. v. 7—15. Tom. II. p. 266—291.
— — — — C. III. v. 14. Tom. I. p. 321. ſeq. nota.
Apocalypſis C. XII. v. 1. C. XV. v. 1. Tom. II. p. 208. nota et p. 260. ſeqq.

II.

Index

vocabulorum et phraſium ſcripturae ſacrae, quae in his opuſculis illuſtrantur.

אדם	Tom. II. p. 64. ſq. p. 104.
אדמה	Tom. II. p. 104.
אלהים	Tom. II. p. 55. ſeqq.
אמת	Tom. I. p. 51. ſeq.
Αγγελος	Tom. II. p. 231. nota.
αδελφοι	Tom. II. p. 276.
αιμα	Tom. I. p. 34. ſeqq.
αιων μελλων et ουτος	Tom. II. p. 226. ſeqq.
αλας	Tom. II. p. 10. ſeqq.
αλιζειν	Tom. II. p. 15. ſeqq. et p. 32.
αληθεια	Tom. I. p. 51. nota et p. 52.
αληθινος	Tom. I. p. 7—9.
ανωθεν ερχομενος	Tom. I. p. 80. nota.
αφ' εαυτου	Tom. I. p. 59.
αχρι	Tom. I. p. 336. ſq.

αχρις — Tom. II. p. 244.

בְּהֵמָה — Tom. II. p. 69. ſeqq.

בְּנֵי־הָאֱלֹהִים — Tom. II. p. 109 — 115.

בְּשָׂגַם — Tom. II. p. 120. ſeqq.

בָּשָׂר — Tom. II. p. 122. ſeqq.

βαπτιζειν — Tom. II. p. 190.

גַּם — Tom. II. p. 91.

γαρ — Tom. II. p. 26.

γενεα et αυτη γενεα — Tom. II. p. 241.

γεννηματα εχιδνων — Tom. II. p. 176.

חֶסֶד — Tom. I. p. 51. ſq.

דּוּן — Tom. II. p. 117. ſeqq.

דַּעַת טוֹב וְרָע — Tom. II. p. 59. nota.

דְּמוּת — Tom. II. p. 66. ſeqq. et p. 91. ſeqq.

Διερχεσθαι — Tom. I. p. 329.

δοκειν εαυτω — Tom. II. p. 182. ſeqq.

δοξα — Tom. I. p. 48. et Tom. II. p. 218. ſq.

δυναμις — Tom. II. p. 219.

Ει μη ſ. εαν μη — Tom. I. p. 192. nota.

εισερχεσθαι (εις τον κοσμον) — Tom. I. p. 320.

ελλογειν — Tom. I. p. 337.

εν — Tom. II. p. 270.

εντολη — Tom. II. p. 267.

επι cum Accuſ. — Tom. II. p. 174.

επι cum Datiuo — Tom. I. p. 331. ſq.

εργα — Tom. I. p. 73. ſeqq.

εργα χριστου — Tom. I. p. 125 ſeqq. et p. 163. ſeqq.

εργα θεου — Tom. I. p. 157. et p. 218. ſeqq.

ερχεσθαι εις κοσμον — Tom. I. p. 11. ſeqq. et p. 19. ſq.

ευθεως	Tom. II. p. 238. ſq.
Ημεραι εκειναι	Tom. II. p. 243. ſq.
Θανατος	Tom. I. p. 321. ſqq.
Θυσια	Tom. II. p. 12. p. 14.
יהוה אלהים	Tom. II. p. 60.
יצר	Tom. II. p. 102. ſq.
ιδιοι et ιδια	Tom. I. p. 26. ſqq.
Και vbi oppoſita enuntiantur	Tom. II. p. 201.
καινη (εντολη)	Tom. I. p. 104. ſeqq.
καιροι	Tom. I. p. 300.
κοπτεσθαι	Tom. II. p. 217.
κρινειν	Tom. I. p. 96.
κτιζειν et κτισις	Tom. I. p. 23. nota.
λεγειν εν εαυτω	Tom. II. p. 181.
λογος	Tom. II. p. 268.
מלח	Tom. II. p. 15.
μονογενης	Tom. I. p. 49. ſq.
נפש	Tom. II. p. 105. ſq.
Νεανισκοι	Tom. II. p. 284.
νεκροι	Tom. I. p. 202. ſqq.
Ομοιωμα	Tom. I. p. 344. ſq.
Ονομα (χριστου)	Tom. I. p. 31. et Tom. II. p. 279.
Οπτεσθαι	Tom. II. p. 207.
Οργη θεου	Tom. II. p. 177.
παλιν	Tom. II. p. 269. ſqq.
πας	Tom. II. p. 7.
πιστευειν εις τινα	Tom. I. p. 31. nota.
πληρης τινος	Tom. I. p. 54.
πνευμα αγιον	Tom. II. p. 191. ſeqq.
πυρ	Tom. II. p. 198. ſeqq.

רוּחַ אֱלֹהִים	Tom. II. p. 116.
Σαρξ	Tom. I. p. 37. ſeqq. p. 40. 41. ſeqq.
σημεια et σημειον	Tom. I. p. 116. ſeqq. Tom. II. p. 207. ſq.
σκανδαλον	Tom. II. p. 276. ſq.
σκηνουν	Tom. I. p. 44. ſeqq.
שְׁכִינָה	Tom. I. p. 46. ſq.
Τεκνα του Θεου	Tom. I. p. 33.
τεκνια	Tom. II. p. 278. ſq.
τυπος	Tom. I. p. 345. ſq.
υποδεικνυειν	Tom. II. p. 178. ſeqq.
Φαινεσθαι	Tom. II. p. 206.
Φυγειν απο της οργης	Tom. II. p. 177.
Φυλη	Tom. II. p. 217. ſq.
Φως	Tom. I. p. 7. nota.
Φωτιζειν	Tom. I. p. 10.
χαρις	Tom. I. p. 51. ſq.
ως	Tom. I. p. 50. ſq.
צֶלֶם	Tom. II. p. 65. ſeqq. et p. 91. ſeqq.

Inhouse = 3 D

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-146554043-10/fragment/page=309

Opuscula

exegetica, critica, dogmatica



tamentis

hott,

T ademiae Ienenſis.

s.

I e n a e,
ſumtibus Croekerianis,
MDCCCXVIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-146554043-10/fragment/page=311